
R.P. CHRISTOPHORI MAIER SOC.TIS IESU ... OCTO FIDEI...

Christoph Maier, Josè Maria Fonseca de Evora

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google


R. P.
CHRISTOPHORI MAIER Soc.tis
IESV SS. Theol. Profeſſoris in Vniver-
ſitate Vienneſi. Ordinarij,
OCTO FIDEI
CONTROVERSIAE,
OB QVAS SOLAS
Plerique hoc tempore difficultatem habent
redeundi ad ECCLESIAM manifeſtè
CATHOLICAM.
FIDES.
LIGIO.
Initium ſalutis ex fide et
gratia Agni et non
ex operibus.
Conſummatio ſalutis ex dilec
tione et eius operib, æterna mer
cede coronandis, Maior ergo
Hic omnes peccatores in hac
vita ad ſe uocat et credentes,
ac de peccatis ſuis dolentes, non
ex operibus id eſt non ex meritis ope-
rum ſed gratis, iuſtificat et ſalvat.
Apud
Ioannem
Kinckium
ſub Monoc-
rote
Hic in alia vita, ablegatis peccat
oribus, quantumcunq; fidem
habuerint, ſolos iuſtos ad ſe vocat
ipſorumq; bona opera, merced
æternæ vitæ coronat.

IN STEMATA DOMVS POPELIAE LOBKOWITZIANÆ



BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

Semper inane secat VOLVCRIS POPELIA, *nunquam*
Sat fuit ullus honos, quem superauit AVIS.
Et, sibi dum peperit iam VELLERA IBERA *volatu,*
Aëra adhuc patrio in Stemmate, scindit AVIS.
Iam scio: non meta eſt hac ei quem mundus honorem,
Sidera quando petet, tum requieſcet AVIS.

Digitized by Google

314621

ILLVSTRISSIME,
ET EXCELLENTISSIME
DOMINE
D. SDENCO
ADALBERTE POPPEL,

LIBER BARO DE ET IN LOBkovvitz, Domine in Chlumez, Giſtebnitz, Raudnitz, &c. Aurei Velleris Eques, S. Cæſ. Regiæque Maieſtatis Conſiliarie intime, & Cubicularie, ac Regni Boëmiæ Cancellarie Supreme.

PRIMAM hanc meã de Religionis noſtræ capitibus, communi bono editurus Diſſertationem, Tuum in primis, Heros excellentiſsime, ei nomen præfigere conſtitui: non ſine cauſâ Tua, mea ipſius Diſſertationis. Tua in primis, vtpotè quem in Aula Auguſtiſsimi Cæſaris Ferdinandi II. (cui Deus ter Optimus Maximus vitam, felicitatem, victoriam nuper in Bohemia cœlo partam; & iam in Vngaria pacem, cum recens nato Chriſto enatam, velit perpetuam) inter eximios ſingularem omninò reperio. in quo præter auitæ familiæ Illuſtriſsima decora; præter illam oris, vultus, & totius corporis planè regiam dignitatem; præter inuictam animi in iactura bonorum, fortunæ, aliiſque aduerſitatibus ob fidelitatem in Deum & Cæſarẽ, tolerandis

Digitized by Google

tranquillitatem;& veteris Socratis maiorem mentis & oris ſerenitatem Religionis Catholicæ (quam vnicè ſpecto) zelus cumulatiſsimè reperiatur, Probe noui: Te, cùm natura, donorum æqua diſtributrix, in te expoliendo deſudaſſet; Fortunaq; ſuũ in te cornu gratiarum; vel Deus potius, bonorum omnium fons & origo effudiſſet: Marte propriò & induſtria ita virtuti ſtuduiſſe, & Sapientiæ: vt quidquid in orbe Auſtriaco, in linguarum ſeptem exacta peritia pulchrum eſt, & præclarum, quicquid in Iuris diuini & humani noticia, publico rerum ſtatui gubernando deſeruit; quicquid ad animi cultum facere poteſt: in tuo pectore velut in ſede propria conquieſceret. Hinc amori fuiſti tot Imperatoribus, Rudolpho, Matthiæ, Ferdinando: hinc honori eorundem auguſtiſsimorum Principum, tot in legationibus ſumma vitæ innocentiâ & abſtinentia obitis, adminiſtratiſque profuiſti; hinc venerationem glorioſæ familiæ tuæ ſingulari tua in Religione Catholica contra furores omnes proruentes, retinenda, conſtantia peperiſti; hinc orbi Germanico ſuauiſsimorum tuorum morum candorem cõmendaſti; hinc Vellus Aureum germanæ Virtutis & Catholicæ fortitudinis teſſeram iure meritò accepiſti. vt mirari nemo poſsit: cur tibi Diſſertatio de Religione Catholica, velut Heroi Catholiciſsimo dedicetur. quæ quidem cauſſa eſt æquiſsima Diſſer-

tatio-

tationis: vt in lucem protracta, à glorioſo tuo nomine, vel honorem accipiat & fauorem; vel cum honore Vmbonem.

Mea ſupereſt cauſſa: & ea quidem ſynceriſſima, vt quem tot virtutum ornamentis cumulatum; tot meritorum officijs oneratum; tam candidè & conſtanter Religionis Catholicæ, & Societati noſtræ affectum; tam eximio Velleris Aurei decore exornatum, intueor: eundem, hoc literario & religioſo munere venerer; eidemque, hoc quali quali obſequio, virtutis Conſtantiam, Cæſaris optimi gratiam, Nouæ dignitatis ornamenta, Patriæ amorem, fauoremque animitus adgratuler: id quod hoc ſcripto reipſa præſtitum volo, voueoque æternùm. Viue Heros excellentiſsime diu ſuperſtes bono Patriæ, Eccleſiæ, Religioni Catholicæ, Noſtræ Societati.

Ill.ma Excellentia
Veſtra

Seruus in Chriſto

CHRISTOPHORVS MAIER.

Digitized by Google

AVTHOR

AD LECTOREM.

QVIA ingenti animi mei dolore, hac ætate plurimos, æternùm perire video, qui in his ſolis 8. Controuerſiis, imò quorum plerique in vnica tantum vel altera illarum hærent, cæteris erroribus alioquin valedicturi: ideo has 8 ſolas ſeorſim conſcripſi, nihil aliud ſpectans, quàm vt hic meus charitatis potius in patriam, quàm ingenij labor, vel vni ſoli animæ illorum prodeſſe poſsit.

Inprimis maxima pars, in Prima *Controuerſia (ea eſt de Iuſtitia, & æternâ mercede bonorum operum,) &* Secunda, *(quæ eſt de Communione ſub vtraque) ſupra modùm pertinaciter hæret. Quantumcunque verò in aures horum inclametur: in rebus Fidei controuerſis audiendam eſſe Eccleſiã,* Matth. 18. *probeturque ipſis ad ſenſum, ſolam Eccleſiam noſtram, id eſt, Catholicam, eſſe veram Eccleſiam: & proinde hanc audiendam eſſe: ipſi nihilominus hærent. At quomodo (aiunt) Eccleſiam illam audire poſſumus; aut quomodo Eccleſia illa vera eſſe poteſt: quæ ſupremæ regulæ fidei, id eſt, Sacræ Scripturæ contraria docet? Et hoc quidem maximè conſtare volunt ex prima & ſecunda Controuerſia. Ex primæ, quia Eccleſia (quam inquiunt, tu vis, vt audiamus) non ſoli Fidei, ſed æquè, imò magis, dilectioni & operibus, ſalutem æternam, vt mercedem adſcribit. At S. Paulus ita*

ad-

adſcribit noſtrã ſalutem gratiæ & fidei, vt excludat opera. ait enim *ad Rom. 3. Arbitramur hominem iuſtificari per fidem, ſine operibus, Et c. 4.* Si Abraham ex operibus iuſtificatus eſt, habet gloriam: ſed non apud Deum: *& c. 11.* Si gratiâ ſaluâmur, iam non ex operibus: alioquin gratia non eſſet gratia. *Nec ſatis eſt dicere: S. Paulum, quando dicit: nos non ex operibus ſaluari, loqui tantum de operibus cæremonialibus legis Moſaicæ, id eſt, de circumciſione, & huiuſmodi, hæc (inquam) plenè nõ ſatisfaciunt: quia S. Paulus ad Rom. 11. ait:* Nos *non ſaluari ex operibus: eò quòd gratis ſaluemur: at quod operi tanquam merces adſcribitur, id non gratis datur: ſiue iam opus ſit cæremoniale tantùm; ſiue morale & humanum, ſiue ſupernaturale, & diuinum: imò, quò opus, cui merces adſcribitur, dicitur excellẽtius; eò minus gratis datur, quod operi ſoluendo impenditur. Quando ergò S. Paulus, & cũ eo SS PP. docent: nos* Gratis *non ex* Operibvs *ſaluari: non tantum opus legis Moſaicæ; ſed omne omnino opus, in cuius mercedem ſalus datur, excludunt; vnde etiam non pauci Patres fide & gratia ſola & non ex operibus, nos ſaluari teſtantur. Et nonne Iohan. 3. Omni credenti (quæcunque tandem ſint eius opera, licèt etiam peſſima) promittitur vita æterna à Chriſto? quando dicitur:* Veni in mundum, non vt iudicem; *(quorſum ergò opera tãquam Iudici ſubiicienda?)* ſed vt ſaluem, vt *propterea* omnis, *(quæcunque tandem ſint eius opera)* qui credit in me, non pereat: ſed habe-

t vitam æternam. *Hæc, & ſimilia plura, cùm ex ſcripturis (inquiũt) clare habeantur; quomodo illa eſt vera Eccleſia; aut quomodo non errat, quæ non tam credenti ex gratia, quàm operanti, ſalutem æternam tamquam mercedem laboris ex iuſtitia reddendam, definitur?*

In ſecunda Controuerſia: idem (inquiunt) patet quod ſuprà diximus. ſcilicet, Eccleſiam, quam vos vultis vt audiamus docere ſacræ ſcripturæ cõtraria: iſta enim Eccleſia docet: Laicis non opus eſſe CALICE. *At ſi Chriſtus Iohan. 6. neceſſitatem ſui ſanguinis bibendi æquè, ac carnis manducandæ omnibus inculcare voluiſſet: quomodo id efficaciùs potuiſſet, quàm dicendo:* Niſi manducaueritis carnem meam, & BIBERITIS meum SANGVINEM: non habebitis vitam in vobis. *Nec dicas, coniunctionem:* ET, *valere particulã;* VEL. *Si namq. Chriſtus voluiſſet, coniunctiuè loqui, non diſiunctiuè, quomodo id potuiſſet efficacius exprimere, quàm dicendo. Niſi* manducaueritis, & biberitis: *Caro mea verè eſt cibus, & ſanguis meus verè eſt potus. Qui manducat meam carnem &* BIBIT *meum ſanguinem. Et nonne Chriſtus in vltima Cœna, æquè* CALICEM *ac panem Euchariſticum inſtituit? Reſpondebis: ſed non præcepit. Verùm, quod aliud præceptum requiris; ſi ex ipſa Inſtitutione babes: vtrunque dandum? Cur enim vtrunque inſtituit, niſi vt vterque daretur omnibus: & ſpecialiter* CALIX: *ideò enim de hoc ſpecialiter ait:* BIBITE ex hoc omnes. *Vide Controuerſ. 2. cap. 6.*

Sunt

Sunt alij pauciores (ij q. ſoli Zuingliani, Caluiniſtæ & Anabaptiſtæ, qui in 3. Controuerſia (quæ eſt de veritate carnis Chriſti in ſacra Euchariſtia) præcipue laborant.

Plurimi in Purgatorio admittendo (de quo eſt Controuerſia quarta) ſingularem pertinaciam oſtendunt, quod (vt iis videtur) ex ſacris litteris illud dari conuinci non poſſit.

Alij demum ob ſanctorum inuocationem, eorumque reliquiarum, & Imaginum cultum (quaſi hic cultus ſit manifeſta idololatria:) à Religione noſtra id eſt, Catholica abhorrent decepti nimirum hac in parte à ſuo Magiſtro Caluino, qui part. 4. cap. 2. §. 9. recenſens cauſas ſuæ à nobis diſceſſionis, illam in primis ponit quod nullum nobiſcum conuentum habere (ipſe & ſui) poſſint, in quo non polluantur aperta Idololatria, ob cultum ſcilicet Imaginum, & Sanctorum Inuocationem. Horum autem lethalem morbum ſpectant noſtræ 5. 6 & 7. Controuerſiæ.

Octaua Controuerſia, quæ eſt de Traditionibus, eſt à me poſita, tanquam vis quædam communis, immittens robur in omnem Controuerſiam, quâ hæreticus turbare poſſet Eccleſiam docendo: nil eſſe credendum, niſi quod in ſcriptura ſacra contineatur. Quaſi verò non omni verbo, quod Chriſtus & Apoſtoli docuerunt, fide Chriſtiana diuina credere debeamus: ſiue iam illud ſcripſerint, ſiue tantum voce nobis reliquerint; & per SS PP. per hiſtoricos Eccleſiaſticos, per Concilia, per continuam Traditionem & vſum ad nos peruenit

Iam verò, licet tot ac tanti viri de his 8 Controuerſijs ſcripſerint: ſpero tamen hūc meum laborem, non fore ſuperuacaneum. Primò quia, qui veritatē non tā poſuerunt, quàm cæteri, efficacius deduxerunt; magna volumina confecerunt, quæ vel facili precio coemi, vel facili labore à quouis euolui non poſſunt; cùm tamen fermè omnes, maximè verò paſtores animarum, has octo controuerſias, in ſingulas horas ad manum habere debeant; vt lupos arceant qui nulla ex parte gregem Chriſti ita frequenter, ac tantâ moleſtia petunt, atque ex aliqua harum Octo Controuerſiarum; vt in omni fere congreſſu experimur. Secundò quia iam ſum expertus: necdum vulgatum hunc laborem meum, ad ſalutem (quod vnice ſpecto) aliquot animarum ceſſiſſe. Atque ad hunc finem, vt has Controuerſias conſcriberem, viri dignitate, & officio Illuſtrſſ. mihi perſuaſerunt. Tertio: alij, non tam ſacra ſcriptura, quàm authoritate Eccleſiæ abſolute (eam autem aduerſarij, tanquam corruptam, deſpiciunt) rem concludunt: Ego tantùm ſacrâ ſcripturâ rem vrgeo; addita ſubinde authoritate ſolius primitiuæ Eccleſiæ, quæ primis quingentis annis floruit quādo, (vt ait Caluinus lib 4. Inſtit. cap. 2 §. 3) extra controuerſiam fuit, nil à principio vſque ad illam ætatem, immutatū fuiſſe in vera doctrina. Quartò: Varia loca ſcripturæ ab alijs poſita pro veritate, ego pluribus ita deduco, vt ingenuo demonſtrent omninò veritatem. Denique, ſi veritatis hoſtes meditantur continuò modos & vias, quibus vim veritatis, qua premuntur fraudulenter effugiant:

cur

cur veritatis amantes non meditentur continuò rationem; quà vi veritatis ſemper magis detecta, ea magis & magis continuo hoſtes premant, atque ad deſperationem faciendi fucum falſitati, adducant?

Controuerſijs præmiſi Synopſes, quas nolim otioſas vel ſuperuacaneas putes; cum omnem ſimul toto Controuerſiæ corpore diffuſam vim & rationem, breui cõpendio concluſam, contineant: quæ vis niſi pariter collecta in vnũ, vno quaſi intuitu perſpiceretur, non ita commodè percipi poſſet; nec paulo prolixioris vnius vel alterius Controuerſiæ, capitum inter ſe connexio, ſatis appareret.

Deinde, cum plerique alij, hoc in genere abundè hactenus elaborarint; periculum eſt, ne vel ſola harum Controuerſiarum inſcriptio, Lectori ſtomachum moueat: qui ſi pagellas aliquot ſibi euoluendas animaduertat, animum abijciat; & totius operis lectione nauſeabundus abſtineat. Vt igitur modis omnibus Lectorem ad peruoluenda ſaluti proficua allicerem, ſuam cuique Controuerſiæ ſynopſin præfixi; vt ad hanc ſaltem perlegendam breuitate prouocaretur, & inde ad vlteriorem Controuerſiæ lectionem attentam, illiceretur.

Demum hoc conſilio Controuerſias potius, quàm quemuis alium ingenij fœtum, vel Philoſophiæ Peripateticæ, vel Scholaſticæ Theologiæ (quem iam à triginta annis partim Patauij, & Brixiæ in Italia; partim Græcij & Viennæ in Germania, magno labore & ſtudio ex profeſſo pertractaui) lucem communem primo peruidere volui; nimirum, non vt

ingenij

ingenij fœlicitatem oſtenderem , aut doctrinæ authoritatem mihi compararem; ſed duntaxat , vt veritatem ſaluti neceſſariam . omni modo perſuaderem at ſum experientia edoctus, eandem veritatem vno modo propoſitam, reijci; alia ratione efformatam, admitti; hinc eandem veritatem & in Synopſi collectam & in Controuerſia latius fuſam alio etiam ſubinde modo formatam propoſui. Cõtrouerſias etiam gloſſulis marginalibus aſperſi, vti vnico quaſi oculo um aſpectu . latentem veritatis ſalutem Lector concipiat. Atque induſtriam hanc ab ipſis tenebrarum filijs didici: qui operibus ſuis id genus gloſſulas adijcere ſoleat, vt incautus Lector temere per librum oberrans, vnico bolo latens venenum deglutiat. VALE

8. Nouembris 1621.

SYNO-

SYNOPSIS PRIMÆ CONTROVERSIÆ DE SALVTE ET IVSTITIA NOSTRA, EX BONIS OPERIBVS.

CArdo difficultatis verſatur in illa propoſitione Pauli ſæpius repetita ad Rom. 3. & 4. ad Epheſ. 2. ad Titum 3. ad Galat. Philip. Hebræos: *ex fide & gratia, & non ex operibus iuſtificamur & ſaluamur*: cuius triplex eſt ſenſus. Primus eſt; ex fide & gratia, & non ex operibus cæremonialibus legis Moſaicæ, id eſt: non ex circumciſione, & huiuſmodi, iuſtificamur & ſaluamur; & hic eſt ſenſus S. Pauli Rom. 3. v. 28. & etiam ad Gala. qui præter fidem & cæteras virtutes Chriſtianas, volebant, ad ſalutem eſſe etiam neceſſariam circumciſioné. de qua re eſt actum in 1. Concilio, *act. 15. v. 1. ibi. Et quidem deſcendentes de Iudæa, docebant fratres: quia niſi circumcidamini ſecundum morem Moyſis, non poteſtis ſaluari*, vide etiã *v. 15. &* 28. Secundus ſenſus ſupradictæ propoſitionis eſt: Ex fide & gratia, & nõ ex operibus, id eſt: non ex meritis vllorum operum ſaluamur, ſalute redemptionis, reconciliationis, regenerationis, adoptionis in filios, Iuſtificationis remittentis peccata: Et hic etiam ſenſus verus eſt: quia dicta ſalus nulli operi, nec fidei, vt operi, tamquam merces ex iuſtitia debita ſoluitur: quomodo S. Paulus Rom. 4. v. 4. definit opus, cui merces ex iuſtitia debetur, ſicque *ad Rom. 3. v. 24. dicimur: gratis iuſtificati per redẽptionem*; & ad Epheſ. 2. v 8. *Gratiá* (inquit,) *eſtis ſaluati per fidem, & non ex operibus; & ad Tit. 3. v 5. non ex operibus iuſtitiæ quæ fecimus: ſed ſecundum miſericordiam ſuam ſaluos nos fecit per lauacrum regenerationis.*

Digitized by Google

rationis. Tertius ſenſus eſt: Ex fide & gratia,& non ex operibus,id eſt, & non ex meritis operum ſaluamur, ſalute vitæ æternæ: quam Chriſtus Iudex adultis reconeiliationi,& adoptioni gratuitæ ſanctè ſuperviuentibus impertitur. Et hic ſenſus eſt falſus: quotiescunque enim ſcripturæ agunt de Chriſto Iudice,ſalutem æternæ vitæ, ſeu regnum cœlorum, tanquam mercedem & coronam Iuſtitiæ,operibus adſcribunt, & fidei nullam faciunt mentionem; niſi etiam ipſius, vt operis.

Vis ergo huius Controuerſię,hac diſtinctione continetur. Quando ſcripturæ agunt de ſalute reconciliationis, adoptionis, Iuſtificationis,remittentis peccata,quam Chriſtus AGNVS, tollens peccata mundi, offert in hac vitâ omnibus peccatoribus, (ſiue per Baptiſmum; ſiue poſt Baptiſmum relapſis per poteſtatem illam ſacerdotalem Iohan. 20. *Quorum remiſeritis peccata*,) Quando, inquam,ſcripturæ de Chriſto AGNO dicto modo, Iuſtificante peccatores, & in Iuſtitia accepta morientes, ſaluantur, loquuntur: tunc docent: nobis ſalutem dari ex fide & gratiâ,& non ex operibus, Triplici de cauſa. Primò, quia dicta ſalus AGNI, gratis ſeu nulli noſtro operi, nec cæremoniali, nec morali, nec ipſi fidei, vt merces debita operi, ſoluitur. (vt oſtendo Cap. 4. Controu. notatione 4.) Secundò, quia dicta ſalus Reconciliationis, adoptionis,eſt à Chriſto AGNO in hac vita parata omnibus, etiam ijs, qui nullam legem ſeruarunt, nullum bonum opus fecerunt, dummodo vel in fine vitæ credentes,& de peccatis dolentes, reconcilientur Chriſto AGNO, vno ex duobus modis ſupra dictis: & hi, ſi poſt gratuitam reconciliationem non ſuperuiuant, (ſanctè vel peruersè agendo)ſed ſtatim extinguantur: conſequuntur ſalutem ſeu vitam æternam, vt hæreditatem tantùm;ſine vllo bono opere; cui ſcilicet ſalus

lus vitæ æternæ, vt merces & corona ſoluatur ex Iuſtitia.

Quando verò ſcripturæ agunt de Chriſto IVDICE in alia vita, quia ibi gratuitæ reconciliationi & adoptioni non eſt amplius locus: tunc, tantum abeſt, vt ex fide & gratia, & non ex operibus legamur ſaluari: vt tunc non niſi operum & coronæ, & mercedis operum, perpetuò fiat mentio; vel enim tunc auditur; quàm ſecundum opera; prout geſsit; ſecundum laborem proprium; metet, quæ ſeminauit; venio & merces mea mecum. fidei vero nulla vnquam fit mentio, niſi quà vel ipſa etiam, vt opus, coronam gloriæ aſſequitur 2. *Tim.* 4. *Apoc.* 2. *ad Theſſ.* 1. 1. *Petri* 1. vel quà deſtituta charitate, & malis moribus deſœdata, quantacunque fuerit, iubetur abire in Ignem æternum: *Matth.* 7.

Hæc doctrina ſumitur ex S. Iohan. Cap. 3. vbi Chriſtus diſtinguit ſeipſum in ſaluantem & Iudicem; & dicit: ſe tunc non miſſum, vt iudicet; ſed, vt ſaluet, ſicque tunc omni credenti, etiamſi nullam vnquam legem ſeruarit, nullum bonum opus fecerit; & ad AGNVM pro remiſsione peccatorum in hac vita recurrenti, promittit ſalutem: at qui dicit, ſe tunc non miſſum vt IVDICEM: in innumeris alijs locis minatur: ſe aliquando venturum, vt IVDICEM; ibiq; ſemper opera bona & mercedem inclamat, mentione omiſſa fidei: quæ, vt eſt inchoatio noſtræ ſalutis, ita conſummatio ſalutis eſt dilectio, eiuſque opera: vnde quando ſcripturæ loquuntur de initio ſalutis noſtræ: fidei & gratiæ faciunt mentionem; quando verò agunt de conſummatione ſalutis, quæ conſiſtit in ingreſſu, in Regnum Cœlorum: dilectionis tantum, & operum dilectionis meminerunt. *Maior ergò charitas* 1. Corinth. 13.

Hac diſtinctione deijcitur Idolũ hæreticæ prauitatis

tatis, aſſerentis; ſalutem noſtram abſolutè eſſe tantum gratuitam, non ex operibus. quod vt aduerſarij erigant, ſolent communiter ſuis libris, quos iam edunt, præfigere imaginem AGNI; cum hac inſcriptione: ECCE QVI TOLLIT PECCATA MVNDI; & in ſuis ſynagogis ſolèt depingere ex vna parte Moyſen tenẽtem tabulas legis; ex altera parte Ioannẽ Baptiſtã indigitantem Chriſtum; q. d. Ecce AGNVM tollentem peccata, ſeu gratis ſaluantem omnes; etiam eos qui Decalogum non ſeruarunt. ad deijciendum hoc dogma, quod fidei & gratiæ ſoli, reiectis operibus, omnem ſalutem abſolutè adſcribit; præfixi quidem meo opuſculo AGNVM tollentem peccata mundi, cum hac ſubſcriptione:

Hic omnes peccatores in hac vita ad ſe vocat; & credentes, ac de peccatis dolentes, non ex operibus, id eſt non ex meritis operum, ſed gratis iuſtificat, & ſaluat.

Huic vero Imagini AGNI, adieci aliam Chriſti IVDICIS, dicentis; *Venite Benedicti*, *quia* &c. *Ite maledicti*, *quia* &c. cum hac ſubſcriptione:

Hic in alia vita ablegatis ad Ignem peccatoribus, ſolos iuſtos ad ſe vocat; ipſorumquè bona opera, atq; fidem etiam, tanquam bonum opus, æterna mercede coronat.

&c.

PRIMA

Digitized by Google

PRIMA CONTROVERSIA.

VTRVM FIDEI ET GRATIAE ſoli, an verò etiam Obſeruationi Legis & Operibus bonis, ſit ſalus noſtra vt merces adſcribenda.

CAPVT PRIMVM.

EXPLICATVR SENTENTIA Aduerſariorum, & quàm iÿ pugnantia doceant, ad oculum oſtenditur.

FIDEI ſoli, non obſeruationi vllius legis, nec vlli etiam Bono Operi, ſalutem noſtram adſcribendam eſſe, docent; Lutherus in cap. 2. ad Gal. Caluin. lib. 3. Inſt. c. 11. §. 13. Ne vero hac ſua ſola Fide, videantur manifeſtè euertere obſeruationem omnis legis humanæ, & Diuinæ, omneque ſtudium virtutis Chriſtianæ; &, vt etiã aliquo modo eludere poſſint teſtimonia Sacræ Scripturæ plurima, quæ pro ſalute æterna comparanda, æquè, imò magis, inclamant Charitatem, & Bona Opera, quàm Fidem: dicunt, Fidem, quæ ſola ſaluat, non eſſe veram Fidem, niſi eadem ſecum ferat Charitatem, & Bona Opera. Ita Caluin. lib. 3. Inſt. cap. 16. & Luther. de viſitatione Saxonica.

 VERVM

Digitized by Google

VERVM, ſi fides, quæ ſola ſaluat, parit in nobis neceſſario bona opera: quomodo ergo ex Luthero & Caluino: omnis noſtra Iuſtitia eſt ſolùm Imputatiua? quâ nimirum, tantum ob Iuſtitiam Chriſti, quam fide apprehendimus eſſe noſtram, reputamur Iuſti: cùm aliàs, nulla operum iuſtitia in nobis reperiatur; ſed omnia opera noſtra ſint peccata mortalia, vt ait Luther. in aſſert. art. 31. 32. & 33. ſeu, vt Caluin. loquitur lib. 1. Inſt. cap. 12. §. 4. in fine. cùm omnia hominum opera, nihil ſint, niſi inquinamenta, & ſordes; &, quæ iuſtitia noſtra habetur vulgò: apud DEVM ſit mera iniquitas.

CONFIRMATVR, quomodo Fides ſaluans, neceſſario habet ſecum Bona Opera, ſi per illam ſaluamur, tametſi legem DEI non obſeruemus; imò nec obſeruare poſsimus? vt ex inſtituto docet Caluin. lib. 2. Inſtit. cap. 7. §. 5. Imò, quomodo non poſſumus obſeruare legem DEI, ſi Fides, quæ nos ſaluat, neceſſariò habet coniunctam Charitatem, & Bona Opera? Nonne iſta charitas, & Bona Opera, quæ vera fides fert ſecum, ſunt obſeruatio legis Dilectionis DEI, & Proximi? At, *qui diligit, legem impleuit*, &, *Dilectio, eſt plenitudo legis.* ad Rom. 13. v. 11. Quomodo ergo Fides vera, neceſſariò fert ſecum talia opera, in quibus conſiſtit plenitudo legis; & nos nihilo minus nec legem Dei ſeruare poſſumus, nec vllum bonum opus facere? ſed quæcunque agimus, ea ſunt peccata, & quidem mortalia; venialia enim ſeu leuia Lutherus in aſſert. art. 32. Caluin. lib. 2. inſt. c. 8. §. 59. non agnoſcunt.

NB. Opera, quæ in nobis profert fides vera, verè nil ſunt, niſi ſordes & peccata mortalia: alia enim opera ex aduerſariis in nobis non reperiuntur. Cum omnis noſtra vera iuſtitia ſit tantum imputatiua.

Demum

Demum quomodo Fides iuſtificans & ſaluans, neceſſariò habet annexa Opera Bona; & tamen qui illam habet, non poteſt damnari, licet nihil boni agat, ſed continenter omne genus ſceleris admittat? Ita enim habet Lutherus de capt. Babylonica cap. de Baptiſmo. Ita vides, inquit, quàm diues ſit homo Chriſtianus & baptizatus: qui, etiam volens, non poteſt perdere ſalutem, quantislibet peccatis, niſi nolit credere: nulla enim peccata poſſunt illum damnare, niſi ſola incredulitas: cætera omnia, ſi redeat vel ſtet fides, in momento abſorbentur. Et tomo 1. latino, epiſtola ad Philip. 346. Eſto, inquit, peccator, & pecca fortiter; ſed fortius fide, &c. ſufficit, quod agnoſcamus Dei agnum, qui tollit peccata mundi: ab hoc, non auellet nos peccatum, etiamſi millies millies vno die forniceris, aut occidas. Et in Serm. Sic Deus dilexit mundum: Vbi, inquit, Fides eſt: nullum peccatum nocere poteſt. Et cap. 2. ad Galat. Quando ſic docetur: Fides in Chriſtum iuſtificat; ſed ſimul oportet ſeruare mandata Dei: ibi ſtatim Chriſtus negatus eſt; & fides abolita: quia mandatis Dei, ſiue legi tribuitur, quod eſt ſolius Dei. Et in lib. de libertate Euang. Chriſtianâ: Nullo, ait, opere, Chriſtiano opus eſt; cum per Fidem ſit liber ab omni lege.

NB. Concilies hæc duo: Fides ſola, etiamſi nulli bono operi ſit aſſociata, ſaluat: Et Fides, quæ ſaluat, neceſſariò habet ſecum bona opera.

Ex his, pluribuſque aliis, quæ ex Luthero adduci poſſent, manifeſtiſſimum eſt; illum, non tantùm docere, quod ipſius diſcipuli, ad tam miſerandi magiſtri excuſationem obtrudunt: Fidem ſcilicet ſolam ſaluare: quia licet ad ſalutem neceſſaria ſint Bona Opera; ſalutem tamen, non ipſis Operibus (quæ ſolùm dicunt eſſe effectus, & ſigna quædam veræ & ſaluantis Fidei) ſed ipſi

NB. Fide ſola, nos ſaluari duplicē habet ſenſum apud aduerſarios. 1. eſt, quod licèt propter fidē ſint neceſſa-

Digitized by Google

ria bona opera ad ſalutem; tamẽ fidei, non operibus (quæ tantũ ſunt ſigna & effectus fidei veræ) eſſe adſcribendam. Secundus ſenſus eſt; quod licèt in nobis nulla reperiantur opera bona, ſed omnia non ſint, niſi peccata enormiſſima; dummodo ſit fides ſola, hoc ipſo ſimus ſalui: & hic poſterior ſenſus repugnat priori. Prior enim ponit in nobis bona opera, Secundus aufert, docendo: in nobis nullam reperiri iuſtitiam operum; & proinde nos ſaluari fide ſola: cùm omnia noſtra opera, nil ſint, niſi ſordes & peccata.

Fidei ſoli eſſe tribuendam. manifeſtiſsimum, inquam, eſt, Lutherum non hoc ſolùm velle, quod Fides ſola ſaluet; ſed velle (vt teſtimonia adducta oſtendunt:) Fide ſolâ nos ſalutem æternam conſequi; tametſi ea nullis ſit aſſociata Bonis Operibus, ſed tantùm peccatis: quòd hæc hominem credentem (etiamſi aſsiduè fornicetur, & occidat) à Chriſto auellere non poſsint; quia nimirum ſola Incredulitas damnat.

Atque hoc etiam planè vult Caluin. locis citatis ſup. ſcilicet, Fide nos ſaluari, etiamſi omnia quæ agimus; nihil ſint, niſi ſordes; ac, etiamſi Dei legem nec ſeruemus; nec ſeruare poſsimus.

Patet ergo ad oculum, quòd, quando iſti ſimulant ſubinde, commendare ſe Bona Opera, legiſque obſeruationem (ex eo, quòd Fides, quæ ſaluat, non ſit vera, niſi aſſociata Bonis Operibus) patet, inquam, quòd tunc non loquantur iuxtà illam ſui proprij animi ſententiam (quæ eſt, vt patebit ex capite ſequenti: nullam in nobis dari iuſtitiam operum, ſed ſaluari nos ſolâ Fide tegente omnem nequitiam noſtrorum operum, omnemque tranſgreſsionem legis Diuinæ) ſed, quod hoc tantùm eo fine proferant, vt faciant fucum plebeculæ: ne ſcilicet, ob iſtam ſuam ſolam fidem deſtitutam omni vero bono opere, & permittentem habitare ſecum omne ſcelus, illudque etiam velantem; ſeu (quomodo ipſi loquuntur) tegentem, proclametur, quale

NB. Fides ſaluans, iuxta aduerſarios, admittit ſecũ omnem nequitiam, illamq; tegit.

Digitized by Google

qual es ſint: nimirum Euerſores omnis veræ cuſtodiæ Legis Diuinæ & Humanæ, omniſque ſtudij verè ſanctæ Actionis.

CAPVT II.

Quodnam ſit fundamentum Opinionis Lutheranæ, & Caluinianæ.

SALVTEM noſtram, nulli Operi, ſed ſolùm Fidei deberi, his maximè nituntur perſuadere Lutherus, & Caluinus; cum ſuis.

Primò, *Ioan.* 3. *v.* 17. Omni credenti (quæcunque demùm ſint eius opera, tametſi etiam ſceleſtiſsima) promittitur vita æterna à Chriſto dicente: *Veni in mundum, non vt iudicem* (quorſum ergo Catholici clamãt Bona Opera à Chriſto Iudice æternam mercedem acceptura?) *ſed, vt ſaluem, vt propterea, Omnis* (etiam ſceleſtiſsimus) *qui credit in me, non pereat, ſed habeat vitam æternam.* Similiter *Marci vltimo: Qui crediderit, & baptizatus fuerit, ſaluus erit.* quæ ergò neceſsitas Operum ad ſalutem?

Ad Rom. 3. v. 28. *Arbitramur hominem iuſtificari per Fidem, ſine Operibus.*

Ad Rom. 4. v. 4. *Credidit Abraham Deo, & reputatum eſt ei ad iuſtitiam. Ei autem, qui operatur, merces non imputatur ex gratia, ſed ex debito; at ei, qui non operatur, ſed credit in eum, qui iuſtificat impium, fides eius reputatur ad iuſtitiam.*

Ad Epheſ. 2. v. 8. & 9. *Gratia ſaluati eſtis ex Fide, & non ex Operibus.*

Ad Rom. 11. v. 6. *Si gratiâ ſaluamur; iam non ex Operibus; alioquin gratia non eſſet gratia.*

Occurres fortaſſe, Quando S. Paulus dicit:

Digitized by Google

nos iuſtificari ſeu ſaluari per fidem; loquitur de Fide viuâ, quæ per dilectionem operatur benè. Sed contrà S. Paulus ita docet: *nos iuſtificari Fide*, vt excludat opera: non enim tantùm dicit: *nos iuſtificari Fide*; ſed addit etiam particulam excluſiuam, *Et non ex operibus*. Vnde & Caluinus lib. 3. Inſtit. cap. 11. §. 29. ad rem ait: An non ſatis ſolidè ſoli Fidei tribuit omnia, quæ operibus adimit?

Dices, S. Paulum loqui ſolùm de Operibus Legis Moſaicæ, velleque nos ſine Circumciſione ſaluari. Contrà. Ideò S. Paulus dicit: nos non iuſtificari ex Operibus; quia inquit ad *Rom.* 3. *v.* 34. *Gratis iuſtificamur*: at, quod Operi noſtro tanquam merces tribuitur, (ſiue iam illud opus ſit cœremoniale, ſiue morale & humanum,) id nobis non gratis datur; ſiue etiam ſupernaturale & diuinũ; ſiue demùm quodcunque. Imò, quò opus, cui ſoluitur, eſt excellentius; eò minus gratis datur, quod Operi ſoluendo numeratur.

Poſſet etiam hîc texi longa ſeries Patrum, qui dicunt, nos ſola Fide, ſine Operibus, gratis, & iuſtificari, & ſaluari: ſed ex his ſaltem aliquot clariora producamus:

Ambroſ. ad Rom. 3. Iuſtificati, inquit, ſunt gratis, qui nihil operantes, ſola fide iuſtificati ſunt.

Hieronymus cap. 10. *ad Rom.* DEVS, inquit, ex ſola Fide iuſtificat. *Chryſoſtomus*, *homil*, *de Fide*, *& lege naturæ*; ait: Eum, qui operatur opera iuſtitiæ, ſine fide non poſſum probare viuum eſſe fidelem; fidelem abſque operibus poſſum monſtrare & vixiſſe, & regnum cœlorum aſſecutum. nullus ſine fide vitam habuit: latro autem, credidit tantùm, & iuſtificatus eſt.

Vide

Vide & alia teſtimonia Patrum apud Bellarm. lib. 1. de Iuſtificatione cap. 25. Nec dicas, quòd, quando SS. PP. dicunt: Latronem aut alios ſola fide ſine operibus iuſtificatos & ſaluatos, loquantur de operibus externis. Nam iuſtum, ſeu ſaluum, ex Fide ſolâ & Gratia, opponunt ſaluo ex operibus: at ſaluus ex fide ſolâ & gratiâ, opponitur tàm ſaluo ex operibus internis, quàm externis: quia neuter horum, eſt ſaluus ex Gratiâ, & Fide ſolâ.

Probatur ſecundò iam, quòd ſoli fidei, non operi alicui noſtro ſalus noſtra adſcribi debeat. Quia S. Paulus omnia noſtra opera, omnem iuſtitiam, omnem gloriam, & ſalutem, quæ eſt ex operibus & obſeruatione Legis, reiicit. *Ad Rom.* 4. *v.* 2. *Si Abraham ex operibus iuſtificatus eſt, habet gloriam, ſed non apud Deum.* & ad Philip. 3. v. 9. *Vt inueniar in Chriſto, non habens meam iuſtitiam, quæ eſt ex lege; ſed eam, quæ eſt ex Fide.* Atque in epiſtolâ ad *Galat. cap.* 2. 3. 5. Paulus totus eſt in eo, vt omne vim iuſtificandi & ſanctificādi adimat operibus legis; concluditque cap. 5. Euacuati eſtis à Chriiſto, qui in lege ſanctificamini: à gratiâ excidiſtis.

Nec verò mirum, quod S. Paulus omnem iuſtitiam, omnem gloriam, ſalutem, ex operibus noſtris reiiciat, quandoquidem nulla noſtra Opera, Bona ſunt, ſed ſunt omnia mera peccata. iuxtà illud Iſaiæ 64. v. 6. *Facti ſumus vt immundi omnes nos: & quaſi pannus, menſtruatus vniuerſa Iuſtitia noſtra.* Atque hinc etiam eſt, quod in nullis operibus noſtris, ſed in ſolâ miſericordia Dei, omnem ſpem noſtram ponere debeamus: ſiquidem nulla noſtra Opera ſunt bona; ſed tantùm ſordes, & peccata,

Digitized by Google

CAPVT III.

Euertitur funditùs Aduerſariorum fundamentum; & Sacrâ Scripturâ, ac ratione, efficaciter comprobatur, ſalutem noſtram non ad Fidem ſolùm, ſed ad Opera etiam Bona, vt mercedem æternam, referendam eſſe.

NB. Opera, quæ in nobis vera fides & gratia Chriſti profert, ſecundum aduerſarios verè nil ſũt, niſi ſordes & peccata: quia alia opera, ſecundum ipſos, in nobis non reperiuntur: aliàs enim in nobis reperiretur Iuſtitia operum; & Iuſtitia noſtra non eſſet tantùm imputatiua.

IN Primis, ſi nulla ſalus nullaque iuſtitia eſt ex operibus, ſed ex fide ſola, eò quod nulla opera noſtra ſint Bona, ſed omnia nihil aliud, quàm peccata mortalia, & ſordes: quæ ſunt ergo illa opera, quæ neceſſariò fert ſecum Fides, ſi vera eſt? dictum enim iam eſt cap. 1. docere aduerſarios noſtros: non eſſe veram Fidem, niſi eam, quæ ſe exerit per Bona Opera.

NB. Si omnia noſtra opera ſunt tantũ ſordes & peccata, quis ergo in die Domini, ſui operis tanquam aurei, mercedem accipiet?

SECVNDÒ, quæ ſunt opera illa, de quibus Ioan. 15. v. 5. *Ego ſum vitis, vos palmites: qui manet in me, hic fert fructum multum?* Eſtne hic fructus multus, peccata? peccata certè fructus non ſunt: à quibus ſe, & palmites ſuos talis vitis commendat.

TERTIÒ, quænam ſunt illa opera, de quibus Paulus 1. *Cor.* 3. *v.* 13. 14. 15. *agit*; *Dies Domini* (quo quiſque noſtrûm Chriſto Iudici ſiſtetur) *declarabit opus vniuſcuiuſque* (noſtrûm.) cuius opus tunc reperietur fuiſſe ſolidum inſtar auri & argenti: is *Mercedem accipiet*; cuius opus reperietur habuiſſe aliquid vani, ſeu fuiſſe inſtar ſtipulæ: *is quidem ſaluabitur*, ſed per ignem: quænam,

ait,

ait, ſunt illa opera; quorum quis tanquam aureorum, in illa Domini die *Mercedem accipiet*?

QVARTÒ, Si ex operibus noſtris nulla oritur ſalus & gloria, ex eo, quod omnia ſint ſordes & peccata (& quidem lethalia, nam ſup. diximus: nulla apud Lutherum & Caluinum eſſe peccata leuia ſeu venialia) quomodo igitur ex illis digni dicimur Mercede; & Regno Dei? *Lucæ* 10. *v.* 9. *Dignus eſt operarius mercede ſuâ.* 2. *ad Theſſal.* 1. *v.* 5. *vt digni habeamini regno Dei, pro quo & patimini.* Lucę 20. *v.* 35. *qui digni habebuntur ſaculo illo, & reſurrectione mortuorum.* Apoc. 3. *v.* 4. *Ambulabunt mecum in albis, quoniam digni ſunt.* Sap. 3. *v.* 5. *Deus tentauit illos, & inuenit illos dignos ſe.*

NB. Quomodo digni ſunt vt ambulēt in albis, quorum omnia opera nil fuerunt niſi ſordes?

QVINTÒ. Si ſalus noſtra ſoli Fidei, & nequaquam operibus noſtris nomine Mercedis debetur, quòd hæc, ex aduerſariorũ ſentētiâ, ſint ſordes; cur ergò eiſdē operibus noſtris toties in ſacrâ Chriſti doctrinâ promittitur Merces? & quidem *Merces in cœlis*? Mat. 5. v. 12. Et: *Venturus eſt Chriſtus in gloria Patris ſui, & tunc reddet vnicuiq; ſecundum opera eius,* Mat. 16. *v.* 27. Et: *vnuſquiſque propriã mercedem accipiet ſecundum ſuum laborem.* 1. *Cor.* 3. *v.* 8. Hoc loco & illud nota; plane falſum eſſe quod docet Melanchton in confeſſione Auguſtana, & Apologiæ cap. 20. adſcribi quidem operibus noſtris præmium in Scripturis, ſed tantum temporale in hac vita, vel futura; non autem ipſam vitam, & ſalutem æternam; hoc inquam planè falſum eſt: ipſam enim vitam æternam, ſeu ipſum Regnum Patris, operibus pro mercede attribui, hæc conuincunt. 1. *Reddet Deus his, qui ſecundum patientiam boni Operis, gloriam, & incorruptionem quærunt, vitam æternam. ad Rom.* 2. *v.* 7. *Quæ ſeminauerit homo, hæc & metet: qui*

NB. Noſtris operibus non tantum aliquid tem-

Digitized by Google

porale. ſed ipſa vita æterna pro mercede patientis laboris adſcribitur.

enim ſeminat in carne ſua, de carne metet corruptionem; qui autem ſeminat in Spiritu, de Spiritu metet vitam AEternam: ergo dum tempus habemus, operemur bonum; ad Gala.6.v.8. & 10. *Venite poſſidete Regnum Patris mei; quia &c.* Mat.25.v.34. & 35 *Momentaneum hoc tribulationis, AEternum gloriæ pondus operatur*. 2. Cor.4.v.17.

SEXTÒ, Si Salus eſt ex Fide ſola, & non etiam ex operibus: quia, vt inquiunt Antagoniſtæ, opera noſtra omnia ſunt peccata mortalia; quomodo eiſdem operibus noſtris Bonis, non modo aſſignatur *Merces vita AEterna*: ſed etiam cum conditione *ex Iuſtitia*, & vt *Corona* reddenda? 2. ad Timoth.4.v.8. *Repoſita eſt mihi Corona Iuſtitia, quam reddet mihi in illâ die iuſtus Iudex.* Iacob.1.v.12. *Beatus vir, qui ſuffert tentationem, quoniam cum probatus fuerit, accipiet coronam vitæ, quam repromiſit DEVS diligentibus ſe* 2. ad Theſſal.1.v.4. & 5. *Gloriamur in Eccleſia Dei pro patientia veſtra & fide, in omnibus perſecutionibus veſtris, & tribulationibus, quas ſuſtinetis in exemplum Iuſti iudicij Dei, &c.* Ad Heb.6.v.10. *Non eſt iniuſtus DEVS, vt obliuiſcatur operis veſtri.*

NB. Fides eſt initium noſtræ ſalutis, cha-

Denique, ſi Salus noſtra Soli Fidei, & non Operibus eſt tribuenda: cur, quando Scriptura Sacra agit de vltima concluſione Salutis æternæ à Chriſto Iudice ferenda, & de ingreſſu in regnum cœlorum; non ſolum non excludit Opera, ſed ea ſola perpetuo inclamat; Fidei, nec mentione quidem facta; (niſi quatenus ea vel fœdata malis operibus ad ignem æternum ablegatur, vt ex fine capitis huius conſtabit; vel vnà cum cæteris Bonis operibus coronatur, quemadmodum adnotatione 2. capitis ſequentis patebit) Quando namque agitur de benedictis à Chriſto Iudice in cœlum

in cœlum admittendis, Mat. 25. v. 34. &c. non dicitur: Venite, Poſsidete: Quia crediſtis; ſed: *Venite, Poßidete, Quia eſuriui, & dediſtis mihi potum*, &c. Et Matt. 16. v. 27. *Filius hominis venturus eſt in gloria Patris ſui, cũ Angelis ſuis; & tunc reddet vnicuiq; ſecundum opera eius*: non dicit: prout apprehendit, Chriſti iuſtitiam eſſe ſuam. *Ad Rom.* 2. *v.* 5. *&* 6. *Theſaurizas tibi iram in die iræ, & reuelationis iuſti iudicij* DEI, *qui reddet vnicuique ſecũdum opera eius. &* 1. Cor. 3. *v.* 8. *Vnuſquiſque propriam mercedem accipiet, ſecundum laborem ſuum, &* 2. Cor. 5. *v.* 10. *Omnes nos manifeſtari oportet ante tribunal Chriſti, vt referat vnuſquiſque propria corporis, prout geſsit* (non prout apprehendit) *ſiue Bonum; ſiue malum & c.* 9. *v.* 6. *Qui parcè ſeminat parcè & metet. &* Apoc. vltimo *v.* 12. *Ecce venio*, ait Iudex, *& merces mea mecum eſt; reddere vnicuique ſecundum opera ſua.*

ritas, conſummatio, ideo quando Scriptura agit de inchoanda ſalute noſtra fidei ſemper facit mentionem, quando vero agit de concluſione ſalutis, charitatis tantum & operum charitatis meminit, fidei nec facta mentione, niſi vt operis.

Quam craſsè ergo falſum eſt illud Caluini lib. 3. Inſt. cap. 11. §. 9. Scripturam ſoli Fidei tribuere omnia.

Quam etiam enormiter falſum eſt illud, quod Lutherani Saxonici, in colloquio Altenburgenſi concludunt; adeo non eſſe neceſſaria Bona opera, vt etiam ad Salutem incommodent, ſintque pernicioſa.

Quàm inepta eſt etiam illa cantillatio: Die Werck die helffen nimmermer ſie künnen nicht behüten. Quid enim te coram Iudice defendet? an ſola Fides? ergone non magis opera? quorum ſolum meminit Iudex, abigens eos à ſe in ignem æternum (vt mox audies) qui male operati ſunt quantamcunque Fidem habuerint.

Quam

NB. Quam craſſe falſum ſit Scripturam ſoli fidei tribuere omnia. cum corã Chriſto Iudice nec fidei fiat mẽtio, ſed perpetuo operũ? Quomodo etiam Scriptura fidei ſoli tribuit omnia, cum Paulus 1. *ad* Cor. 13. *dicat fidem ſine dilectione, eſſe nihil, nihilque prodeſſe: dilectionem eſſe maiorem fide, eſſe plenitudinem legis* Rom. 13 *v.* 10. *eſſe vinculum perfectionis* Coloſſ. 3. *v.* 14. *eſtne hoc Scripturam ſoli fidei tribuere omni-*

Digitized by Google

Quam denique falſum eſt illud Lutheri, in lib. de libert. Euangelica Chriſtiana. Nullo opere, Chriſtiano opus eſſe, cum per fidem ſit liber ab omni lege. Ergo erit liber etiam à regno cælorum. quia Iudex ijs dicit eſſe præparatum regnum cœlorum, *Qui fecerint voluntatem Patris ſui* (quæ eſt lex diuina) repellitque eos ab hoc loco, qui operati ſunt iniquitatem: quamuis ea fidei magnitudo in eis fuerit, vt prophetarent, dæmonia eijcerent, montes transferrent, cæteraſque virtutes multas ac magnas facerent. Audi Chriſtum. *Nolite* (*Mat.* 5. *v.* 17.) *putare, quoniam veni ſoluere legem; non veni ſoluere, ſed adimplere. & ibidem v.* 20. *Quia niſi abundauerit iuſtitia veſtra, plus quam Scribarum, & Phariſaorum; non intrabitis in regnum cœlorum. & v.* 46. *Si diligitis eos, qui nos diligunt, quam mercedem* (quorſum hoc, ſi nulla Merces operum?) *habebitis*? Et, *ſi ſalutaueritis fratres veſtros tantùm, quid amplius facitis? nonne & Ethinici hoc faciunt*? Et *cap.* 7. *v.* 14. *Quam anguſtà porta, & arcta via eſt, qua ducit ad vitam!* exaduerſo, quam amplâ illam eſſe, neceſſe eſt, per quam homo graditur ab omni operatione legis ſolutus? & *v.* 19. *Omnis arbor, qua non facit fructum bonum, excidetur, & in ignem mittetur. v.* 21. *Non omnis, qui dicit mihi Domine, Domine:* (ergo; nec Fides interior, nec etiam proteſtatio externa Fidei ſufficit) *intrabit in regnum cœlorum, ſed qui facit voluntatem Patris; ipſe intrabit in regnum calorum. v.* 22. *Multi dicent mihi in illa die* (Scilicet iudicij extremi) *nonne in nomine tuo prophetauimus? &c. & tunc confitebor illis, quia numquam noui vos; Diſcedite à me qui operamini iniquitatem v.* 24. *Omnis qui audit verba mea hac, & non facit ea,* (quorſum toties illud, Facit?) *Similis erit viro ſtulto, qui adificauit domum ſuper arenam.*

Nonne

Nonne hic tantùm OPERA, & FACERE, perpetuò inculcantur? nulla interim omnino factâ fidei mentione; niſi quatenus ea fœdata, violatione Legis Diuinæ, ſeu voluntatis Patris, faceſſere compellitur in æternum ignem, licet etiam proteſtationem externam internæ fidei, excellentiamque miraculorum adiunctam habeat. Vnde iam veriſsimum illud Pauli 1. Cor. 13. v. 2. *Si habuero omnem fidem, ita, vt montes transferam, Charitatem autem non habuèro, nihil ſum.* & v. 3. *nihil mihi prodeſt.*

NB. Fides ſine charitate nil poteſt, quomodo ergo Scriptura ſoli fidei tribuit omnia.

CAPVT IV.

Conciliantur Scripturæ, quæ modò Fidei, & non Operibus, modò Operibus, nec Fidei quidem mentione facta; Salutem æternam tanquam mercedem ex Iuſtitiâ debitam adſcribunt.

NOTANDVM primo! Chriſtum benedictum duplici nomine & officio nobis in Sacris litteris depingi. Alterum nomen, & officium eſt SALVATORIS ſeu AGNI expreſſum Sacro ipſiuſmet ore apud Ioannem *cap.* 3. *v.* 17. *Non miſit Deus filium ſuum in mundum, vt iudicet mundum, ſed vt ſaluetur mundus per ipſum.* Quod illuſtrat Ioannes Bapt. apud Ioannem Euangeliſtam cap. 1. v. 19. cum dicit: *Ecce Agnus Dei, ecce qui tollit peccata mundi.* Alterum nomen & officium Chriſti, eſt IVDICIS, vnde act. 17. v. 30. & 31. dicitur, *Deus, nunc annuntiat hominibus, vt omnes vbique pœnitentiam agant; eo quod ſtatuit*

Digitized by Google

tuit diem, in quo iudicaturus eſt orbem in æquitate. Per quem autem Deus ſit illud iudicium adminiſtraturus, exprimitur Ioann. 5. v. 22. *Neque enim Pater iudicat quenquam, ſed omne Iudicium dedit Filio.* & v. 27. *Poteſtatem dedit ei,* id eſt filio, *iudicium facere, quia filius hominis eſt*: & ſtatim ſubdit, *Nolite mirari hoc, quia venit hora* (hoc eſt, ventura eſt, vel venire debet, vt aliàs ſæpius, & Ioan. 21. v. 23. *Exijt ſermo inter fratres, quod diſcipulus ille non moritur.* hoc eſt, non moriturus eſſet, aut mori non deberet) *in qua omnes qui in monumentis ſunt, audient vocem Filij Dei, & procedent qui BONA fecerunt in reſurrectionem vitæ; qui verò mala egerũt, in reſurrectionem Iudicij*; id eſt damnationis. Quomodo 1. Cor. 11. v. 20. *qui indignè manducat, & bibit, iudicium,* hoc eſt condemnationem, *manducare & bibere ſibi dicitur.*

NB. *Chriſtus Agnus reconcilians in hac vita peccatores Patri, eoſq; iuſtificans, cōfert ſalutem reconciliationis, adoptionis, iuſtificationis remiſſiua Peccatorum, non ex operibus, id eſt, non ex meritis operum*

Chriſtus Iudex confert ſalutē

Notandum ſecundo: Quando ſacræ literæ loquuntur de officio Chriſti AGNI, ſeu de ſalute Reconciliationis & Adoptationis, qua in filios Dei adoptamur in hac vita, per CHRISTVM SALVATOREM ſeu AGNVM, *vocantem* Lucæ 5. v. 32. *omnes peccatores ad pœnitentiam*, & remittentem illis hic peccata quæcunque (ſiuè vi Baptiſmi, ſiue poſt Baptiſmum relapſis: per poteſtatem illam Sacerdotalem Ioan. 20. v. 24. *Quorum remiſeritis Peccata, remittuntur eis*:) quando Sacræ literæ loquuntur de ſalute iſtâ quam Chriſtus AGNVS reconcilians peccatores in hac vita confert; tunc eam fidei & gratiæ, & non operibus noſtris tanquam mercedem deberi volunt; quia ſalus hæc à Chriſto AGNO, & gratis nobis confertur (non vt merces operis, vt tertia adnotatione oſtendam) & omnibus; etiam ijs, qui nullam vnquam legem ſeruauerunt, nec vllum

vllum vmquam in vitâ ſuâ bonum opus fecerunt: dummodo tamen hîc, cum vera Fide, ac peccatorum ſuorum pœnitentia ad Chriſtum Agnum accedant.

æterna beatitudinis ex operibus, id eſt, ex meritis operum, iis adultis qui reconciliationi gratuitæ ſanctè ſuperuixerunt.

Quando verò Sacra Scriptura verſatur circa officium Chriſti IVDICIS; vel agit de Regno Cælorum, aut ſalute vitæ æternæ conferenda nobis in alio ſæculo à Chriſto IVDICE, cùm ibi gratuitæ Reconciliationi & adoptioni in filios DEI, amplius locus non ſit; ideo tunc nihil aliud auditur, quam, ſecundum *opera*; *prout geſſit. ſecundum laborem proprium, metet quæ ſeminauit*, &c. Fidei verò mentio nulla omnino fit, niſi quà vel ipſa etiam, vt opus coronam aſſequitur (vt patet ex 2. *ad Timoth.* 4. *v.* 7. & 8. *Bonum certamen certaui, curſum conſummaui fidem ſeruaui, in reliquo repoſita eſt mihi corona iuſtitiæ; quam reddet mihi Dominus in illa die iuſtus iudex.* & Apo. 2. v. 10. *Eſto fidelis vſque ad mortem, & dabo tibi coronam vitæ*: & ad Theſſal. 1. *v.* 4. 5 *Gloriamur pro patientia veſtra, & fide in omnibus perſecutionibus veſtris, & tribulationibus quas ſuſtinetis in exemplum iuſti iudicij Dei.* & 1. Pet. 1. *v.* 7. *vt probatio veſtræ fidei multo pretioſior auro inueniatur in laudem, & gloriam, & honorem, in reuelatione* IESV *Chriſti*, id eſt, in die Iudicij). Vides: hic Fidei non fieri mentionem; niſi, vt & ipſa quemadmodum opus coronatur? vel, quà deſtituta charitate, & malis operibus defœdata, abire iubetur, in ignem æternum. Matth. 7. v. 23.

NB. Gratuita ſalus adoptionis, reconciliationis, iuſtificationis, à Chriſto Iudice non eſt expectanda.

NB. Fidei coram Chriſto Iudice nulla vnquam fit mentio, niſi quâ, vt opus coronatur; vel fœdata malis operibus ablegatur ad Ignẽ.

Nota iam 3. quis nimirum ſit error aduerſariorum in negotio iuſtificationis & ſalutis noſtræ: quæue cauſa erroris.

Error

NB.
Etiam aduerſarij ſubinde concedunt, præter Fidem neceſſarium eſſe Timorē, Pœnitentiā, dilectionem ad ſalutem: ſed nulli horum, nec fidei, dicunt dari ſalutem, vt mercedem operi: quod verum eſt de ſalute remiſſionis peccatorum, iuſtificationis, adoptionis, regenerationis, redēptionis: at non de vita æterna, quæ à Chriſto Iudice aſcribitur operibus perpetuò.

Error eſt: quia abſolute docent: nulli noſtro operi ſalutem æternam vt mercedem operi tribuendam; ſed ſoli tantummodo fidei; quamuis nec huic, vt operi: itaque licet fidem, pœnitentiam, Dilectionem, & ipſa Denique opera Bona, ſubinde ſentiant ad ſalutem eſſe neceſſaria, quod Melanchton habet in ſuis locis communibus; nulli tamen horum, nec FIDEI quidem ipſi, Salutem noſtram, tanquam OPERI, MERCEDEM deberi affirmant. hic ergo error.

Cauſa erroris, iſta. Quia attendunt tantùm ad illa loca Scripturæ, in quibus diſputatur de Salute Iuſtificationis, & Recōciliationis, quæ à Chriſto AGNO nobis aſsignatur: dum adhuc in terris viuimus: quam Salutem, verum eſt, nulli operi nec fidei nomine Mercedis dari, quod ex adnotat. 4. conſtabit.

NB.
Corā Chriſto Iudice nō niſi operum Mercedis, Coronæq; perpetua ſit mentio, & ipſi fidei datur vita æterna, vt merces operi.

Quod ſi aduerſarij aduerterent oculos, vel ſaltem declinare nollent, loca, in quibus Scripturæ diſputant de ingreſſu in regnum cœlorum, ſeu de Chriſto Iudice; perpetuò oppoſitum viderent. tantum enim abeſt, regnum illud, ſeu ſalutem illam, quam Chriſtus IVDEX impertitur, à Scriptura ſoli Fidei, & non operibus adſcribi: vt potius tunc, cum Scripturæ de Chriſto IVDICE tractant, non niſi OPERVM, MERCEDIS, CORONAEQVE faciant perpetuò mentionem. Atq; non ſolis Operibus Charitatis; *Matth.* 25. *v.* 34. *&* 35: ſed ipſi quoque Fidei, ſalutem æternam, vt Coronam operi tribuunt, 2. *ad Timoth.* 4. *v.* 7. 2. *ad Theſſal.* 1. *v.* 4. *&* 5. 1. *Pet.* 1. *v.* 7.

Nota 4. Nos non ideo gratis reconciliari AGNO, ſeu, vt S. Paulus loquitur (*ad Rom.* 3. *v.*

24. *ad*

24. *ad Epheſ. 2. verſ. 5. & 8. ad Tit. 3. v. 7.*) *gratis iuſtificari, ſeu ſaluari*; quod nimirum ex parte noſtra, vt recõciliemur Agno, ſeu, vt ab illo ſaluemur, nihil omnino requiratur (ſic enim nec Fides, nec pœnitentia, nec Baptiſmus, nec quidquam aliud ad ſalutis reconciliationem, & ad adoptionem in filios, requireretur, quod ab omnibus ceu falſum reiicitur,) ſed idcircò dicimur gratis reconciliari; quia nec fides, nec dolor de peccatis, nec quodcunque aliud (vt Concil. Trid. ſeſſ. 6. cap. 8. definiuit) quod Iuſtificationem ſeu Reconciliationem noſtram præcedat, eſt tale, vt ei, tanquam operi, Iuſtificatio ſeu Remiſsio peccati, vt Merces debeatur.

NB. Gratis (inquit Concil.) iuſtificamur: quia nil eorũ, quæ Iuſtificationem præcedunt, ſiue fides, ſiue opera, gratiã Iuſtificationis promeretur.

Itaque licet iſta gratia non fiat, niſi credenti, & errorem ſuum agnoſcenti, & deprecanti; tamen Gratis, & non vi operum dicitur fieri, quomodo Eleemoſynæ, gratis & liberaliter dantur; licet non niſi precantibus ſeu mendicantibus dentur. Et Princeps grauiter offenſus, licet non condonet iniuriam ſibi illatam, niſi precibus & lacrymis exoratus, nihilominus tamen gratis, & non propter opera eius, à quo eſt offenſus, offenſam remittere dicitur.

Ratio autem, ob quam, nec Fidei, nec Dolori, nec vlli alteri, quod Reconciliationem præcedat, debeatur ſalus Reconciliationis, vt Merces operi, hæc eſt; quia nulla actio eſt eius põderis, vt ei dignè, & ex Iuſtitia Merces deberi poſſit, niſi eadem procedat à Perſona Digna, conſtituta nimirum in gratia per Spiritum Sanctũ inhabitantem, & charitatem diffuſam in corde eius, quâ, Perſona illa, *non ex hominibus, neque ex voluntate viri, ſed ex* DEO *nata*, (*Ioannis* 1. *v.* 13.) *ſeu adoptata ſit* (*ad Rom.* 8. *v.* 15.) *in amicum & filium*:

B Hinc

Hinc Ius ad regnum cœlorum, ſeu æternam ſalutem vocatur in Scripturis Sacris, Ius filij hęredis, *ad Rom.* 8. *v.* 17. *Si autem filij, & hæredes, hæredes quidē Dei, cohæredes autem Chriſti*; & ad Galat. 4. *v.* 7. *Itaque iam non eſt ſeruus, ſed filius: quod ſi filius, & hæres per Deum*. Antequam ergo quiſpiam à ſeruitute manumittatur, liberalitate Dei, fiatque filius: nullum tale ius habet ad ſalutem æternam, cui ſcilicet ſalus ex Iuſtitia debeatur.

Nota 5. quod licet hominis iam reconciliati, ſeu filij Dei & amici, ex fide per Dilectionē operantis, opera, natura ſua ſint Deo Patri accepta; ipſis tamen, ex Conc. Trident. ſeſſ. 4. cap. 8. accedit etiam vis placandi Deum, & benè merendi ex meritis Capitis noſtri Chriſti, offerentis opera noſtra Patri æterno, tanquam fructus membrorum & palmitum ſibi viti (Chriſtus enim vitis *Ioan.* 15. *v.* 1. & 5. (per charitatem inſertorum (*qui enim manet in charitate, in Deo manet, & Deus in illo,* 1. *Ioan.* 4. *v.* 16.) in qua vite qui manet, hic fert fructum (*Ioan.* 15. *v.* 5.) ſed, non tantum Peccata: hæc enim non ſunt fructus huius vitis.

Nota 6. quod licet opera, quæ fiunt à filiis, & reconciliatis Deo Patri, ex parte ſua digna ſint remuneratione; Deus nihilo minùs illis Operibus nihil debeat, niſi ex fidelitate ſuæ promiſsionis. Hinc S. Auguſtinus ſerm. 16. de verbis Apoſtoli. Debitor, inquit, nobis factus eſt Deus, non aliquid accipiendo; ſed, quod ei placuit, promittendo: aliter enim dicimus homini; debet mihi, quia ei dedi; & aliter dicimus Deo: debes mihi, quia promiſiſti mihi. Deo igitur, quid dicimus? Redde mihi, quia dedi tibi?

quid

quid dedimus Deo; quando, quod ſumus, & habemus boni, ab illo habemus? nihil ergo ei dedimus. non eſt, quemadmodum iſta voce exigamus debitorem Deum. Illâ ergo poſſumus exigere Dominum noſtrum, Redde, quod promiſiſti: quia fecimus, quod iuſſiſti; & hoc tu feciſti; quia laborantes iuuiſti. Hæc Auguſtinus.

Inde iam habetur; ex noſtris operibus, non oriri inter nos & Deum, obligationem Iuſtitiæ dati & accepti; ſic ſcilicet, vt propter accepta, Deus ex vi iuſtitiæ teneatur rependere nobis (tum, quia opera noſtra Deo non ſunt vtilia ad quidquam; tum quia multis aliis titulis ſunt illi debita; tum maximè, quia omnia opera noſtra bona, dona ipſius Dei ſunt; proptereaque Concilium Trident. ſeſſ. 26. cap. 6. ait: Abſit vt Chriſtianus homo, in ſe ipſo glorietur, & non in Deo; cuius tanta eſt erga homines omnes bonitas, vt eorum velit eſſe merita, quæ ipſius ſunt dona) ſed obligatio & Debitum oritur ex verbo Promiſsionis; licet alioquin, etiam ipſa opera, quando ab amico, & filio Dei per Spiritum ſanctum inhabitantem fiunt, ſint digna remuneratione.

Neque vero, eo ipſo, quod familiaris Principis cuiuſpiam, aliquid laude, & remuneratione dignum patrauit, Princeps obligatur ex Iuſtitia ad illud remunerandum: maximè ſi familiaris ille, aliis titulis, quoad omnia Principi eſt adſtrictus: ſed tunc ſolùm tenetur Princeps munere afficere familiarem ſuum, quando remunerationem legitimè certanti promiſit.

Nota 7. fidem quidem opponi operibus in diuinis literis, dum nempe ad Roman. 3. *v.* 28.

& cap. 4. v. 11. *ad* Galat. 2. *v*. 16. *ad* Tit. 3. *v*. 7. dicitur ſaluari nos ex Fide, & non ex operibus: at, nuſquam opponitur Fides Timori, Spei, Pœnitentiæ, Dilectioni: neque enim alicubi in ſacra pagina reperies, Fide, & non ex timore Dei, non Spe, non Pœnitentia, non Charitate ſaluari homines, eſtque hoc omnino falſum. Quia ſalus etiam Agni Chriſti, Iuſtificatis ſeu reconciliatis alioquin Gratuita; tam Timori, Eccleſ. 1. v. 28. *Qui ſine timore eſt, non poterit iuſtificari*, & v. 27. *Timor Domini expellit peccatum.* Prou. 14. v. 27. *Timor Domini fons vitæ.* Spei, *Prouerb.* 28. v. 25. *Qui ſperat in Domino ſanabitur.* Pſalm. 36. v. vltimo. *Saluabit eos, qui ſperauerunt in eo.* Ad Rom. 8. v. 24. *Spe, ſalui facti ſumus.* Pœnitentiæ, *Ezechielis* 18. v. 21. *Si impius egerit pœnitentiã, ab omnibus peccatis ſuis, quæ operatus eſt, &c. vita viuet.* Lucæ 13. v. 5. *Si pœnitentiam non egeritis, omnes ſimul peribitis*; Dilectioni, 1. *Ioan.* 3 *v*. 14. *Translati ſumus de morte ad vitam, quoniam diligimus fratres*: &, *qui non diligit, manet in morte.* Lucæ 7. v. 47. *Remittuntur ei peccata multa, quia dilexit multum*; quam Fidei attribuitur.

NB. Salus reconciliationis, adoptionis, iuſtificationis Peccatorũ tam timori, Spei, Pœnitentiæ & dilectioni, ac fidei aſcribitur, nulli tamen horum vt merces operi.

Quando ergò dicitur, fide, & nõ ex operibus ſaluamur, ſeu iuſtificamur; nequaquã per fidem hanc, paulò ante enumerati Actus excluduntur; cum illis alioquin omnibus, & ſingulis paſsim ſacræ literæ ſalutem Reconciliationis promittant, licet nulli Actuum eorum, quemadmodum nec fidei; dicta ſalus pendatur, vt Merces operi.

NB. Licet ex fide, timore, pœnitentia & dilectione ſalutem reconciliationis conſequamur dicimur tamen ex gratia & non ex operibus huiuſmodi ſalutem conſequi, quia nec fidei nec vlli alij enumeratorum actuum, ſalus reconciliationis vt merces operi impendetur: impenditurque omni, qui cum fide & dolore peccatorum ad Agnum recurrerit, etiamſi nullum bonum opus in vita ſua fecerit.

Itaque ſub illa fide, tanquam ſub duce itineris, reliqui

Digitized by Google

reliqui comites, ad quos etiam alioquin illa ſalus refertur, comprehenduntur: vt ſenſus ſit, Fide nos, & non ex Operibus ſaluari: hoc eſt etiã ſi nullum bonum opus in vita tua feceris, ſed tantum peccatis Deum offenderis; dummodo cum vera fide, ſpe remiſsionis peccatorum, vera pœnitentia, & dilectione, ad Chriſtum Agnum, in hac vita exiſtens recurreris, ſalutem conſequeris: eſto nulli dictorum Actuum ſalus illa Reconciliationis vt Merces operi ſoluatur, quod adnotatione 4. docuimus.

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

Confirmatur, ſicut, quando Chriſtus Lucæ 7. v. 47. dixit: ***Remittuntur illi peccata multa, quoniam dilexit multum***; per dilectionem illam, non excluſit fidem (neque enim ſermonis Chriſti ſenſus eſt hic, quia dilexit, & non quia credidit, ideò remittuntur illi peccata multa) ita etiam quando poſtea Chriſtus adiecit (v. vltimo) ***Fides tua te ſaluam fecit***; non propterea excluſit dilectionem; cui iam remiſsionem peccatorum adſcripſerat, verborum ſiquidem Chriſti ſenſus non eſt hic, fides tua (ô peccatrix,) & non dilectio illa per oſcula, lachrymas, &c. expreſſa, fuit cauſa tuæ ſalutis: nam illum eundem effectum ſalutis ſeu remiſsionis peccatorum, quem prius, occaſione oſculorum, lachrymarum, aliorumque ſignorum amoris, ex dilectione proceſſiſſe dixerat Saluator, poſtea occaſione murmurantium (qui auditis illis verbis, ***Remittuntur ei peccata multa***, cogitabant, *Quis eſt hic, qui etiam peccata remittit*? v. 49.) vt incredulitatem eorũ, fide peccatricis pungeret, ad fidem retulit, dicẽs: Fides tua te ſaluam fecit. Sicut ergo in priori propoſitione Chriſtus non excluſit fidem, ita, nec in poſteriori, Dilectionem. quod ipſum cernere

NB. Vt Chriſtus pungeret incredulitatẽ Phariſæorũ, illam remiſſionem peccatorum quam prius retulerat ad dilectionem, poſtea refert ad fidem, vt hanc incredulis inſinuet; & quia Chriſto per miracula intendebat ingenerare fidem tamquam initium ſalutis, ideò etiam fidei ſemper facit mentionem, quando de effectu ali-

quo per miraculum edendo vel edito agit. Varia ergo ratione Chriſtus iam dilectionis, iam fidei facit mentionem.

nere in his eſt. *Omnis, qui diligit, ex Deo natus eſt,* 1. Ioan. 4. v. 7. & *omnis qui credit quoniam Ieſus eſt Chriſtus, ex Deo natus eſt.* 1. Ioan. 5. v. 1. Nam, nec in priori, Fides; nec in poſteriori, Dilectio excluditur. Falſum enim eſt, quod omnis, qui diligit, etiamſi non credat, IESVM eſſe Chriſtum, ſit ex Deo natus: falſum ſimiliter eſt, quod omnis qui credit IESVM eſſe Chriſtum, ſeu Meſsiam, etiamſi non diligat, ex Deo ſit natus.

licet remiſſio peccatorum potius lacrymis & dilectioni, quam fidei propriè ſit adſcribenda. ſicuti patratio miraculorum magis propria eſt fidei, quam pœnitentiæ vel dilectionis.

NB. Fides eſt initium noſtræ ſalutis, conſūmatio eſt charitas, quando ergo agitur de inchoanda noſtra ſalute, fidei tātū fit mentio, quando agitur de concluſione ſalutis, tunc tantum charitatis & operum charitatis, Chriſtus Iudex meminit.

Nota vltimo. licet ad Salutem noſtram, requiratur fides, timor, ſpes, pœnitentia & dilectio, vt ex Scriptura manifeſtè oſtenſum eſt. Apoſtolus tamen Paulus in 4. Epiſtolis, ad Romanos. Philip. Gal. & Hebr. ſolius fidei fere ſemper facit mentionem, quia dum illas ſcriberet, præcipuus eius labor atque induſtria in eo verſabatur, vt infideles vel ſaltem à recta fide declinantes, ad Chriſti fidem adduceret, quare fidem tunc ſolum vrſit, quod & nos faceremus, ſi cum tali hominum genere ageremus, eſto optimè ſciamus præter fidem requiri æquè etiam alia ad Salutem (vt Dilectionem, timorem. nam ſi in hominem Iudæū vel Turcam, vel Indum, incideremus, qui putet ſe in ſua lege iuſtè viuere, eo quod non adulteria, non furta &c. committat, rituſque legis ſuæ ſeruet, quid aliud huic diceremus; quam, mi frater, ritus tuæ legis, quales ſunt v.g. Circumciſio, lauacra, & ſimilia quæ habes, nil prorſus valent ad veram Salutem; nec quæcunque alia tua opera quidquam valent ad vitam æternam, niſi credideris in Chriſtum; crede & ſaluus eris, (intellige tamen) ſi præſtiteris

Digitized by Google

teris etiam reliqua, quæ fides noſtra requirit, quæ tunc non proponimus: quando adhuc in primo fundamento ſalutis iaciendo elaboramus, in quo laborauit S. Paulus in adductis 4. epiſtolis, in quibus vel egit cum infideli ponente ſuam Iuſtitiam, & Salutem in operibus vitæ benè moratæ; vel egit cũ Iudęo ponẽte ſuã ſalutẽ in operibus legis Moſaicę, vel egit cũ Chriſtianis id eſt, cũ Galatis volẽtibus Iudaizare, quòd putarent præter Fidẽ & reliquas virtutes Chriſtianas, etiã Circumciſionẽ & reliqua Opera legis Moſaicæ, ad ſalutem eſſe * neceſſaria, quid mirũ ergo, ſi S. Paulus cum eiuſmodi hominibus agens, fidem in Chriſtum ſolum vrgeat, qui vt AGNVS non ex operibus, ſed ex gratia nos ſaluat, quia omnibus in ipſum credentibus, & de offenſis dolentibus, gratiam iuſtificationis ſeu reconciliationis & adoptionis in filios Dei gratis offert, quæ gratia nec operibus vitæ bene moratæ, nec operibus legis Moſaicæ, nec vlli alij actui, vt operi merces ſoluitur.

NB. Galatas quidem fuiſſe Chriſtianos, ſed Iudaizaſſe: quia præter Baptiſmum putabant, retinendam circumciſionem, ſaltem vt vtilem, ſi non neceſſariam ad ſalutem.

* *De hac re eſt actum in* 1. Concil. *act.* 15. *v.* 1 *ibi.* Et quidam deſcendẽtes de Iudæa dicebant: Fratres, quia niſi circumcidamini ſecundum morem Moyſis, non poteſtis ſaluari, *& v.* 16. Conueneruntque Apoſtoli, & ſeniores videre de verbo iſto. Cum autem magna conquiſitio fieret, ſurgens Petrus, dixit ad eos, &c. *& v.* 28. Viſum eſt Spiritui Sancto & nobis. *Iuxta ergo decretum huius Concilij S. Paulus in epiſtola ad Romanos, Gal. Philip. & Hebræos docet: in operibus legis Moſaicæ, tamquam in meris vmbris legis Chriſti nullam fuiſſe veram vim iuſtificandi & ſaluandi, ſed ſola fide, (dilectione tamen, ſpe & timore Dei minime excluſis) fuiſſe iuſtificatos, & ſaluatos eos, qui functiones illas vmbratiles peragebant. Poſt Chriſti vero mortem, adeò abeſt, vt opera illa hominem verè iuſtificent & ſaluent: vt potius ipſum perdant.* Si enim circumcidamini (*inquit Paulus*) *ad Gal.* 5. *v.* 2. Chriſtus vobis nil proderit, *& v.* 4. Euacuati eſtis à Chriſto, qui in lege (Moyſis) iuſtificamini, *& v.* 6. In Chriſto Ieſu nec circumciſio aliquid valet, nec præputium, ſed fides quæ per dilectionem operatur.

Ex dictis ergo iam intelligi poteſt: quo ſenſu

Digitized by Google

vera ſit illa propoſitio, *Fide & non ex operibus, ſaluamur*; ex qua Caluin. lib. 3. Inſt. cap. 11. §. 29. infert. An non ſatis ſolidè fidei ſoli tribuit omnia, qui Operibus adimit?

Imprimis enim, ſi ſit ſermo de operibus cæremonialibus veteris legis, veriſsimum eſt, homines illius legis, vi ſolius fidei, & charitatis in Meſsiam, non autem ex operibus illis legalibus ſanctificari ſeu iuſtificari fuiſſe ſolitos: quia in operibus illis ſecundum ſe, nulla erat vis iuſtificandi. id eſt, Deus intuitu ipſius operis legalis ſecundum ſe, nullam gratiam conferebat. Atque hoc eſt argumentum ad Galat. ſcriptæ epiſtolæ, in qua S. Paulus agit de abroganda Circumciſione, & cæteris operibus legalibus, eo, quod fuerint *infirma, & egena, elementa ad Galat. 4. v. 9* vnde etiam *ad Hebr. 7. v. 18.* dicitur, *in lege noua factam eſſe reprobationem veteris mandati* (nempè Circumciſionis & reliquorum) *propter infirmitatem eius & inutilitatem*: erant enim, opera illa legalia meræ vmbræ (ex Aug. epiſtola 19. ad Hieron.) noſtrorum Sacramentorum; illæque ſecundum ſe, vt ait Concilium Florent. non conferebant, ſed tantum ſignificabant gratiam; quia nimirum tantum ex vi Fidei hominem in futurum Meſsiam credentem ſanctificabant: intuitu ſiquidem operis Moſaici, ſecundum ſe, DEVS nullam gratiam largiebatur, largiturus eam per Sacramenta, à Filio ſuo inſtituenda, in his enim Deus, non intuitu fidei ſolum, & dilectionis eorum, qui Baptiſmum ſuſcipiunt, & Euchariſtiam adeunt &c. ſed intuitu operis ipſius Sacramentalis (cuius vt iam dictum eſt, opus Moſaicum fuit ſolum vmbra) vtpote à Chriſto filio dilecto, *in quo Matt. 3. v. vlt. ſibi benè complacuit*, inſtituti,

NB. *Sacramenta à Moyſe inſtituta, tantum ſignificabant gratiam: at non conferebant vi ſua. Sacramenta verò à Chriſto inſtituta, conferunt gratiam vi ſua; id eſt, Deus Pater non tantum intuitu fidei*

Digitized by Google

inſtituti, largitur homini propriam gratiam. *& dilectionis eorum, qui Sacramenta adminiſtrant vel ſuſcipiunt, ſed intuitu ipſius operis ſacramentalis, vtpote à proprio filio inſtituti, confert gratiam ſingularem, ſuſcipienti Sacramentum.*

Hinc iam eſt, quod Theologi noſtri opera illa Moſaica, tantum ex vi operantis, ſeu credentis; noſtræ autem legis nouæ Sacramenta ex vi ipſa operis (ſeu vt illis loqui placet, ex vi operis operati) gratiam largiri docent. Quam quidem Sacramenta illa veteris legis, non conferebant, ſed ſignificabant ſolùm, aliquando (quod iam fit) per noſtra Sacramenta dandam, ac proinde his iam inſtitutis vult Paulus in epiſtola ad Galat. illa priora, tanquam vmbras abolenda, de quo pluribus egi in 3.p. D. Th. aliquid infra attingam.

NB. Cardo præſentis controuerſiæ vertitur in hac propoſitione Pauli, ex fide & non ex operibus ſaluamur & iuſtificamur; in qua fides non excludit à ſe omnia opera, ſic enim ſeipſam excluderet, nam & ipſa aliquod opus eſt, excludit ergo à ſe o-

SECVNDÒ, propoſitio illa, Fide, & non ex operibus ſaluamur, ſeu iuſtificamur, tunc eſt vera, quando agitur de ſalute quam Chriſtus Agnus vocans peccatores ad pœnitentiam, omnibus peccatoribus credentibus, & verè pœnitẽtibus, Gratis impertitur, ſcilicet ita, vt non conferat illam, vt mercedem operi. Quomodo S. Paulus ad Rom. 4. Fidem, opponit operi, definiens opus, illud, cui non Gratis aliquid impenditur, ſed ſoluitur merces ex debito. Quando ergo S. Paulus nos ex fide & non ex operibus iuſtificari & ſaluari aſſerit, Paulus fidem non omni operi opponit, ſic enim fides ſibi ipſi opponeretur, nam & ipſa eſt opus aliquod (*Iohan. 6. hoc eſt opus Dei, vt credatis*) ſed fidem, vel opponit operibus legalibus (in quibus nulla erat vis iuſtificandi) apud Galatas; vel fidem, vna cum gratia, opponit operi, cui ſoluatur merces ex debito, quomodo Paulus definit opus, apud *Rom. 4. v.*

 4. dicens,

4. dicens, *ei qui operatur, non imputatur merces ſecundum gratiam, ſed ſecundum debitum*. Itaque illa propoſitio Pauli. *Ex fide & Gratiâ, & non ex operibus iuſtificamur*, ſeu ſaluamur; duplicem habet ſenſum apud Paulum. Primus eſt, ex fide & gratiâ, & non ex *operibus legalibus Moyſis*. ſecundus eſt, ex fide & gratiâ, & non ex operibus, id eſt, & non ex meritis operum; ſeu non ex operibus, quibus ſalus reconciliationis, vt merces debeatur, ſaluamur, & iuſtificamur à Chriſto Agno, qui iuſtificat gratis peccatores: vt not. 4. docui.

Omnia opera legalia, & omne opus cui ſalus reconciliationis & iuſtificationis ſoluatur vt merces debita; fides ergo ſaluans nunquam excludit à ſe, timorem Dei, Spem, Pœnitentiam, Dilectionem, nam hi actus nec ſunt opera legalia, nec illis datur ſalus reconciliationis, & iuſtificationis, vt merces ex iuſtitia debita, ſicut nec fidei. Error ergo Lutheri & Caluini in hoc conſiſtit, quod doceant fidei ſoli cæteris omnibus excluſis attribui omnia, deinde ſine vllo fundamento ſomniant cauſam huius rei eſſe, quod ſola fide, non vlla alia virtute apprehendamus eam eſſe noſtram iuſtitiam.

Tertiò, propoſitio iſta, *ex Fide, & non ex operibus*, eſt Salus, eſt falſiſsima: quando nimirum ſermo eſt de Chriſto Iudice, falſiſsimũ inquam eſt, Salutem vitæ æternæ vt mercedem *Operi* à *Iudice* Chriſto non dari.

Qvartò, hoc effatum, *ex Fide, non ex operibus*, eſt ſalus, falſiſsimum etiam eſt, ſi à Fide illa Saluante excludantur, Timor, Spes, Pœnitentia, Dilectio: Falſiſsimum inquam eſt: nos ex Fide & non ex timore Dei, non ſpe, nec Pœnitentia, & Dilectione ſalutem ſiue reconciliationis, ſiue vitæ æternæ conſequi. nullibi ergo Fides ſaluans, hos actus à ſe excludit; ſed accepta vna cum omnibus iſtis actibus, ſubintellectis, excludit vel opera Moſaica; vel, ſi ſermo ſit de ſalute adoptionis, iuſtificationis, &c. Fides cum omnibus illis actibus ſubintellectis, excludit opus,

cui

ſui merces ex debito ſoluatur. nam ſalus illa deſcripta; nullis ex enumeratis actibus, nec fidei, vt merces operi debita ex iuſtitia, ſoluitur.

Et hinc iam apparet, quàm falſum ſit illud Calu. ſupra adductũ. Fidei ſoli à Scriptura tribui omnia. Quomodo enim, excluſis operibus, Scriptura ſoli fidei tribuit omnia, ſi quoties de Chriſto IVDICE agit, operum tantùm facit ſemper mentionem? fidei nullam; niſi ad ſummum, vt etiam ipſa tamquam opus coronatur.

NB. Quomodo Scriptura ſoli fidei ſecluſis cæteris tribuit omnia, cum 1. Cor. 13. dicat, fidem ſine dilectione eſſe nil, dilectionẽq; eſſe maiorẽ fide, & alibi: eſſe plenitudinem legis, eſſe vinculum perfectionis, eſſe mandatum primũ & maximũ in lege eſtne hoc, fidei ſoli tribuere omnia?

Quomodo Scriptura ſoli fidei tribuit omnia, cum tam ad Timorem, Spem, imo magis ad pænitentiam & dilectionem, quam ad fidem, ſalutem reconciliationis & remiſsionis peccatorum, paſsim referat, vt patet ex notat. 7. Quomodo ſoli fidei tribuit omnia, cum à fide ſaluante, timor, Spes, pœnitentia & dilectio, nullibi in Scriptura excludantur: neque enim hi actus ſunt opera Cæremonialia, quibus proinde opponi debeat fides ſaluans, ad Gal. Philip. & Heb.. nec ipſis datur ſalus iuſtificans peccatores, vt merces operi: quibus proinde opponi debeat fides gratis ſaluãs, ad Rom. Cur autem S. Paulus in his 4. epiſtolis, ſolius fidei paſsim facit mentionem, timore, Spe & cæteris actibus alioquin ex ſacra ſcriptura æque neceſſarijs ad Salutem, non expreſsis; ea eſt, quia vt ſupra diximus, S. Paulus in illis 4. epiſtolis, ſudat in primo fundamento noſtræ ſalutis iaciendo; agit enim ibi contra homines in fide errantes, ſcil. ſalutem ſuam vel in operibus vitæ bene moratæ ponentes, vt Gentiles; vel in operibus legis Moſaicæ, vt Iudæi, & Iudaizantes; vnde non eſt mirum, ſi contra hos, fidem ſolam, cæteris non expreſsis, vrgeat; Cæterum

NB. Quam falſe quis diceret: nos ſolis operibus, & non fide ſaluari: quod quoties Scriptura de Chriſto

terum in epiſtola ad Corinth. vbi S. Paulus agit, cum hominibus diſſenſione & æmulatione laborantibus, ibi ex profeſſo integro capite 13. Charitatem ſupra fidem omnino, & ſuper omnia cetera chariſmata Spiritus ſancti longe extollit, & in fine cap. præcedentis præmonet, ſe id facturum.

Iudice loquitur, toties tantùm operum faciat mentionem: tam falſè Caluinus & Lutherus dicunt, nos, ſola fide ſaluari, non vlla alia virtute, aut vllo bono opere, eo quod quando Chriſtus & Paulus de primo fundamẽto noſtræ ſalutis iaciendo agunt, fidei tantum faciant mentionem, cæteris virtutibus non expreſsis: quia ergo dilectio eſt conſummatio noſtræ ſalutis: ideo quando Scriptura agit de concluſione noſtræ ſalutis, charitatis tantùm, & operũ charitatis facit mentionem. quia autem fides eſt initium noſtræ ſalutis: ideo quando Scriptura agit de inducenda ſalute: fidei tantum facit mentionem.

Hinc ergo iam ruit Chimerica illa fictio Lutheri & Caluini, qua fingunt, timore Dei, dilectione, bonis operibus & cęteris omnibus excluſis, ſoli fidei in Scripturis tribui omnia; atque hac iam doctrina falſa poſita, deinde ſomniant: cauſam huius rei eſſe, quod fides ſola apprehendat, Chriſti iuſtitiam eſſe noſtram, non timor Dei, non dilectio, non opera: verum, aitne Chriſtus Iudex vllib.? Venite benedicti: quia apprehendiſtis? an ſemper: quia feciſtis? quia paſsi eſtis? & quando Scriptura fidem cum dilectione confert: nonne hic defert primas? lege caput totum 13. 1. ad Cor.

(?*?)

CAPVT

Digitized by Google

CAPVT V.

Soluuntur Aduerſariorum Argumenta, cap. 2. poſita.

AD 1. *ex Ioan.* 3. Reſpondetur: Chriſtus ibi promittit vitā æternā omni credenti; etiamſi nullū opus Bonū fecerit, nullam legem ſeruauerit. quia ibi expreſsè diſtinguit ſeipſum in ſaluantem, & Iudicem; dicitque ſe tunc non miſſum, vt iudicet mundum, ſed, vt ſaluetur mundus per ipſum. & licet Chriſtus, vt Saluator non requirat opera; ſed, non obſtantibus quibuſcunque peccatis, omnes peccatores ad ſe vocet, Lucæ 5. & credentes ac pœnitentes gratis iuſtificet, peccata illis gratis dimittendo, ſiue per Baptiſmum. Marci vltimo v. 16. ſiue per poteſtatem illam Sacerdotalem expreſſam Ioan. 20. v. 23. *quorum remiſeritis peccata, remittuntur eis*; quam gratiam, niſi nouis peccatis (Spiritum S. per lauacrum regenerationis receptum contriſtando, ad Epheſ. 4. v. 30. & Chriſtū nouis peccatis rurſum crucifigendo ad Hebr. 6. v. 6.) amiſerint, hoc ipſo habent vitam æternam: Ex alijs tamen locis Scripturæ tu optimè noſti, Chriſtum non ſemper AGNVM futurum, qui peccatores ad ſe vocet, vt illos gratis iuſtificet; ſed venturum aliquando IVDICEM, & tunc ſolos iuſtos ad ſe vocaturum, Mat. 25. v. 25. *Venite*, dicendo, *Benedicti* &c. cæteris, qui male operati ſunt, reiectis, etiamſi omnem Fidem habuerint, Mat. 7. 1. Cor. 13. Hinc iam eſt, cur Luthero, in præfat. in Euang. non ita probetur Euang. S. Matthæi, ac Ioannis

NB. Chriſtus Agnus vocat ad ſe omnes, etiam ſceleſtiſsimos, vt illis credentibus & dolentibus ſalutem gratis impertiatur. Chriſtus Iudex vocat ad ſe ſolos iuſtos, reiectis peccatoribus, quantumcunque fidem habuerint.

NB. Cur Luthero non ita

probetur Euangeliũ Matthæi ac Ioannis.

Ioannis, quod ſolum dicit eſſe purum Euangelium; quia nimirum Ioannes introducit Chriſtũ AGNVM non requirentẽ Opera, Matthæus verò IVDICEM Chriſtum opera Bona Regno cœlorum ſeu æternâ Mercede præmiantem, & mala opera, licet omnem fidem ſociam habuerint, punientem deſcribit. Vnde, nequit fieri, vt Euangelium Matthæi placeat Luthero, operum mercedem non agnoſcenti; ſed Fidei ſoli, quantiſcunque ea ſit aſſociata peccatis, ſalutem omnem promittenti.

Ad illud, ex Marci vlt. Etiam ibi, credenti, abſq; operibus, promittitur ſalus; quia Chriſtus ibi agit AGNVM vocantem, per ſuos Apoſtolos, omnes peccatores ad Reconciliationẽ per Baptiſmum obtinendam: vnde ſolum dicit, *Qui crediderit, & baptizatus fuerit, is ſaluus erit*; intellige, ſi in gratia, qua per lauacrum Baptiſmi ſuper niuem dealbabitur Gratis, perſeuerauerit: qui enim perſeuerauerit vſque in finem, hic ſaluus erit. Matt. 10. v. 22. ſi vero iſte, per Baptiſmum Gratis reconciliatus, impijs operibus gratiam acceptam extinxerit, & ſic ſine noua reconciliatione in hac vita, quæ fit per poteſtatem illam Sacerdotalem Ioan. 20. expoſitam, mortuus fuerit, Chriſtus, qui non ex operibus illius, ſed non obſtantibus etiam quibuſcunque grauiſsimis legum tranſgreſsionibus, Gratis eum per Baptiſmum iuſtificando, fuit hic illi Agnus, factus illi in altera vita ſeuerus Iudex, dicet: Diſcede maledicte, quia nudus eram, & non veſtijſti me &c. & ſi iſte tunc deprehenſus fuerit habuiſſe tantam fidem, vt montes tranſtulerit, *charitatem autem* (quæ 1. Cor. 13. v. vlt. eſt maior Fide, & Spe) *non habuerit* in fine vitæ; tunc nec Fides,

NB.

nec

nec aliud quidquam ei proderit, 1. Cor. 13. Qui enim nõ habet veſtem nuptialẽ id eſt Charitatem (ex Tertulliano lib. de Reſur. carnis, Orig. Chryſoſt. Autore imperfecti operis, Ambroſ. ſerm. 14. de Nat. Dñi, Hier. Greg. Theophyl. & Euthymio) ille Matth. 22. v. 13. reijcitur à cõuiuio Cœleſtis Regis, etiamſi vocatus & inuitatus venerit ad cœnaculum, id eſt, etiamſi per fidem ingreſſus ſit Eccleſiam, venire enim (inquit rectè Maldon. noſter in illum locum) eſt, credere: nam illi, qui inuitati non venerunt, propterea à Chriſto Rege vocati, dicuntur non veniſſe, quia credere noluerunt.

Itaque, licet quiſpiam habeat fidem, per quam venerit ad Chriſtum, deſtitutus autem ſit veſte nuptiali Charitatis, is, reijcitur à nuptijs; à quibus etiam reijcientur infantes, niſi (ex Ioan. 3. v. 5.) renati fuerint ex aqua & Spiritu Sancto diffundente charitatem in cordibus eorum, ad Rom. 5. v. 5. renouanteque eos & regenerante per hoc lauacrum aquæ, ad Tit. 3. v. 5. in filios adoptionis, ad Rom. 8. v. 15. Ad autoritates ex S. Paulo adductas reſpõdetur omnibus illis locis ſalutẽ attribui fidei, & Gratiæ ſine operibus; quia agitur de ſalute, quãChriſtus, non vt Iudex, in alia vita, ſed, vt Agnus peccatoribus, dum adhuc hic viuũt, aſſignat. Quę ſalus duplici ſenſu datur ſine operibus. 1. quia datur omnibus, etiã ijs qui nullam legem ſeruarunt, nullum bonum opus peregerunt, dummodo vel in fine vitæ recurrerint ad AGNVM cum vera fide & dolore peccatorum. 2. quia dicta ſalus, nec fidei, nec vlli etiam alij diſpoſitioni ad Iuſtificationem neceſſariæ, datur vt merces operi. Porro, nota per verba illa (*credenti autem in eum, qui iuſtificat impium, Fides*

eius

eius reputatur ad Iuſtitiam;&, *Beati quorum tecta ſunt peccata*) non dicere B. Paulum, quòd AGNVS, qui impium iuſtificat, peccata illi condonando, non conferat eidem Impio veram iuſtitiam, aut non remittat illi verè peccata; ſed, quod tantùm Iuſtitia AGNI imputetur homini, ac ſi eſſet ipſius; cum tamen reuera ipſe maneat peccator, deſtitutus omni iuſtitia propria, & interna. Nota, inquam, hoc non dicere B. Paulum, quandoquidem id ſacris Scripturis ſit repugnantiſſimum, atteſtantibus, iſta Reconciliatione nos *ſuper niuem dealbari* pſal. 50. & *peccata noſtra, vt nubes diſſipari*. Iſaiæ 46. & *cor mundum in nobis creari, & Spiritum rectum innouari in viſceribus ipſis &c.*

NB.

Fidem reputari ad iuſtitiam, eſt credentes non ex operibus, id eſt, non ex meritis operũ, ſed ex gratia iuſtificari, ita tamen vt hac iuſtificatione intimè ſuper niuem dealbentur, & ſpiritus rectus in viſceribus ipſorum innouetur; ergo nil habent hac cũ

Voces igitur illæ Pauli, Fidem reputari nobis ad Iuſtitiam, peccataque noſtra tegi, atque nobis non imputari; tantùm ideò vrgentur à Paulo, vt ſignificet, ex pietate & miſericordia Dei, id nobis accidere, & gratia. Nam S. Paul. non opponit hæc veritati Iuſtitiæ, & veræ remiſſioni peccatorum, ſed tantum Mercedi & Operi; quod nimirum Iuſtitia, qua Agnus Impium credentem internè iuſtificat, conferatur peccatori gratis: ait n. *Ei, qui operatur, merces non imputatur ſecundùm gratiam, ſed ſecundũ debitum: ei verò qui non operatur, reputatur Fides ad Iuſtitiam*. Vbi vides, manifeſtiſsime à S. Paulo illud, Reputari Fidem peccatori ad Iuſtitiam, opponi tantum operi, quòd nimirum peccator credens in Agnum, Gratis ſeu ſine opere, cui Merces debeatur, iuſtificetur; licet illa Iuſtitia ſit vera Iuſtitia interna, quà ſcilicet per Spiritum Sanctum inhabitantem innouetur in ipſis viſceribus.

Neq; verò quia mihi gratis datur pecunia; ideò non

Digitized by Google

non eſt vera pecunia: ſicut non etiam ideò non verè condonatur mihi offenſa, quia gratis condonatur. *Iuſtitia imputatiua aduerſariorum,*

Nunc ad teſtimonia Patrum. Etiam illi adſcribunt Salutem fidei, & gratiæ ſoli ſine operibus, quando agunt de Salute, quam Chriſtus, non vt Iudex, ſed, vt AGNVS in hac vitâ offert. Peculiariter verò ad D. Chryſoſt. Reſpondetur; verũ eſſe, Latroné, ſine operibus Regnũ cœlorũ eſſe cõſecutũ; quia facta confeſsione, & obtentâ Reconciliatione, ſtatim extinctus eſt, ſicque ſaluatus; licet non conſtét de vllo bono opere eius, quod toto vitæ ſuæ decurſu, ante extremam gratuitam Reconciliationem peregiſſet.

Neque verò negamus aliquos, ſine vllis Bonis operibus ſaluari, vt pueros, & etiã adultos, qui licet toto vitæ tranſactæ tempore nullam omnino legem ſeruauerint, nullum bonum opus fecerint; ſi tamen in fine vitæ credentes & dolentes, per Baptiſmum, ſeu poteſtatem illam Ioan. 20. expreſſam, (*Quorum remiſeritis peccata* &c.) Agno verè reconciliati ſtatim extinguuntur, hi ſine lege ſeruatâ, ſine Opere aliquo bono ſaluari * dicuntur. Salus verò ijs, nõ vt Brauium ſeu Corona, ſed tantùm vt Gratia vel Hæreditas obtingit. NB.

* *Auguſt. l. 83. quæſt. 76 Si quis (inquit) cum crediderit, mox de hac vita diſceſſerit, iuſtificatio fidei manet cum illo, nec præcedentibus bonis operibus, quia non merito ad illam, ſed gratia peruenit, nec conſequentibus: quia in hac vita eſſe non ſinitur.*

Illis enim ſolum dicimus pro æterna ſalute adipiſcenda, neceſſaria eſſe Bona opera, qui Reconciliationi gratuitò factæ ſuperuiuunt, quibuſque offertur occaſio à mundo, Carne, Diabolo, violandi legem diuinam, qui vt legem ſeruent (quod eſt Benè operari) gratiamque & Salutem Reconciliationis per Baptiſmum, ſeu po- *NB. Aliquibus obtingit æterna vita, tantum vt hæreditas; alijs verò vt hæreditas,*

 teſta-

Digitized by Google

& corona ſimul; quomodo gloria illa, in quã, vt ingrederetur Chriſtus, debuit pati, obtigit Chriſto vt hæreditas filij Dei, & vt corona certanti.

teſtatem Sacerdotalem acceptam, non amittant, cõtra hos ſalutis noſtræ hoſtes tenentur certare.

Et quia conflictus iſte, eſt arduus; gratia enim illa, & ſalus gratis accepta, vnica legis tranſgreſſione, v.g. vnico conſenſu deliberato in rem carnalem tota extinguitur (qui enim concupiuit, iam eſt mœchatus, adultero autem 1. Cor. v. 9. & 10. non eſt Salus, niſi in hac vita denuò Agno gratis reconcilietur) ideò Chriſtus Mat. 11. ait : *Regnum cœlorum vim patitur , & violenti rapiunt illud.* & idcirco nihil mirum eſt , quod ipſum ceu Brauium , & Corona certantibus à Chriſto Iudice conſignetur, quando tanta vis requiritur. Quamuis etiam his, vita æterna Gratia dici poſsit; quia per vires Gratiæ diuinæ certarunt; ſine quibus , ne quidem : *Dominus* IESVS 1. Cor. 12. v. 3. *dicere poſſumus*, nedum Credere, Sperare, Diligere , Certare , vt nimirum ad vitam æternam, ijs, qui ſuperuiuunt Reconciliationi, eſt neceſſarium.

Quia ergo ex nobis ſine gratia, peccatum , & mors , ex nobis autem ſine Gratia (vnde vires certandi) non eſt vita æterna ; ideò Paulus ad Rom. 6. v. vlt. dicit , Stipendia enim peccati, Mors; Gratia, aut Dei vita æterna.

Ad ſecundum Argumentum. Reſpondetur, D. Paulum eorum operum gloriam reijcere, quę ita ſunt ex nobis, vt non ſint ex Fide , & Gratia illa, quâ à Deo gratis iuſtificati ſumus, illiuſque Filio, vt palmites viti , per charitatem inſerti. Talia ſunt opera hominis Gentilis, qui tantum lumine naturali duce, ciuiliter ſeu moraliter benè viuit, & huiuſmodi fuerunt opera illa Pauli, quæ fecit perſequendo Eccleſiam Dei , ex Zelo ſuæ legis Iudaicæ, in qua putabat ſe iuſtum, quod

NB. Paulus illa opera reijcit quæ deſtituta fide &

Digitized by Google

ſine querelâ in eâ conuerſatus fuiſſet. Huiuſmodi ergo operum iuſtitiam, & gloriam Paulus reijcit. Cæterum, quæ ita ex nobis ſunt, vt ſint etiam ex Fide, & Chriſti Gratia operante nobiſcū, in his, & Paulus ipſe gloriatur, 1. *Cor.* 15. *v.* 10. quando dicit. *Gratia Dei in me vacua non fuit; ſed abundantius omnibus laboraui, nō ego autē, ſed Gratia Dei mecum.** Si tecum; ergo, ô Paule, tu & Gratia ſimul; inde & coronam tibi repoſitam expectas. Qui etiam in huiuſmodi Operibus gloriatur, dicitur ex D. Paulo 2. Cor. 1. in Domino gloriari. Quo ſpectat & illud Auguſtini epiſtola 106. Quid habes, quod non accepiſti, ſi autem accepiſti, quid gloriaris, quaſi non acceperis; Hoc vtique, totum, inquit Auguſtinus; non ideò vt homo non glorietur, ſed vt qui gloriatur, in Domino glorietur.

Ad illud ex Epiſtola ad Rom. 4. v. 2. Si Abraham aut quiuis alius homo, Iuſtitiam ſuam, & gloriam, ponit in operibus; quæ nimirum ita ex ipſo ſunt, vt non ſint ex Fide, & Gratia, qua gratis eſt à Chriſto Agno vocatus & iuſtificatus; tunc talis homo, de eiuſmodi Iuſtitia apud homines quidem gloriam habere poteſt, qui ſcilicet illum laudent, tanquam virum benè moratum, & obſeruatorem Legis ſuæ ſine querela, vt fuit Paulus, qui ad Philip. 3. v. 6. ſecundum Iuſtitiam, quæ in lege (Moſaica) eſt, conuerſatus eſt ſine querela; ſed iſta iuſtitia & gloria apud Deum nulla eſt, quia nihil prodeſt ad vitam æternam: illorum enim tantum operum iuſtitia & gloria prodeſt apud Deum, quæ naſcuntur ex fide Chriſti & Gratia, qua Deus Gratis nos iuſtificauit, & in Filios gratis adoptauit.

gratia Chriſti perſequendo Eccleſiam Dei; at hac non ſunt vera iuſtitia opera.

NB.

** Quando Hebræi duo comparant, poſitiuum abſolute negant, comparatiuum affirmant. Non ego, ſed Gratia Dei, id eſt non tā ego quam potius Gratia Dei mecum.* Rom. *9. Non currentis aut volentis, ſed miſerentis i. Non tā currentis & volentis, quam potius Dei miſerētis. Oſea 6. & Matt. 9. Miſericordiā volo, nō ſacrificiū id eſt, miſericordiā ſeu dilectionem potius volo, quàm ſacrificium, volebat enim Deus vtrunque, ſed magis illam quam hoc.*

NB. Iuſtitia & gloria operum quæ nō ſunt ex fide Chriſti, & ex gratia quà gratis iuſtificati ſumus: iuſtitia inquam, eiuſmodi operum nulla eſt apud Deum, quia nihil prodeſt ad vitam æternam. Iuſtitia verò operum, quæ ſunt ex fide & gratia, qua gratis iuſtificati ſumus & filij Dei effecti, iuſtitia, inquam, eiuſmodi operũ adeo valet apud Deum, vt Paulus ex illis coronã Iuſtitiæ expectet.

Quando autem Paulus *ad Philip.* 3. *v.* 9. dicit, *vt inueniar in Chriſto, non habens meam Iuſtitiam, quæ eſt ex lege*; per illam ſuam Iuſtitiam, intelligit eam, quæ ita fuit ſua, vt non fuerit ex fide, & Gratia Chriſti. de qua proximè dixerat, *Ego ſecundum legem Phariſæus, ſecundum iuſtitiam, quæ in lege eſt, conuerſatus ſine querela* (Ecce iuſtitiam, quæ apud homines habet gloriam, quia expers quęrelæ) *ſecundum æmulationem, perſequens Eccleſiam Dei:* in tali ſanè iuſtitia ibi Paulus cupit non inueniri. talis etiam iuſtitiæ opera arbitratur ibidem eſſe detrimenta, & ſtercora.

At verò iuſtitiam, quæ ita eſt Pauli, vt ſit ex Gratia Chriſti, & opera quæ ex tali iuſtitia oriuntur, neutiquam Paulus contemnit; ſed potiùs illis dandam expectat Coronam iuſtitiæ.

Iam verò in epiſtola ad Galatas, legi, eiuſque legis operibus vim omnem ſanctificandi & iuſtificandi adimit Paulus, quam etiam legem cum ſuis operibus per aduentum Chriſti Meſsiæ docet abrogatam, id eſt, legem ritus Moſaici, ſeu Circumciſionis; de qua ad Galat. 5. v. 2, dixerat, *ſi circumcidamini, Chriſtus vobis nil proderit*: quæ paulò poſt, v. 4. alijs verbis repetens, ait: *Euacuati eſtis à Chriſto, qui in lege iuſtificamini.* De hac ergo lege eiuſque operibus, diſputat Paulus in Epiſtola ad Galatas: quam, tanquam neceſſariam, vel ſaltem vtilem Chriſti fidelibus, retinendam docuerunt quidam Pſeudoprophetæ apud Galatas. Quorum errorem, vt Paulus à Galatis rejici faciat, totus in eo elaborat, vt conuincat ritus illos Moſaicos, ſeu legem Circumciſionis, vi ſua, (ſeu, quemadmodum Scholaſtici Theologi loquuntur, ex vi operis operati) nullam habuiſſe vim iuſtificandi; homineſque illius legis,

Digitized by Google

gis, vi ſolius Fidei internæ in Meſsiam futurum, & charitatis virtute, qua illa opera legalia & ſacrificia exercebant, fuiſſe ſanctificatos; cæterum in ipſis operibus, ſacrificijs, ac ritibus legis illius ſecundùm ſe, nullam fuiſſe efficacitatem ſanctificandi; ſed hæc omnia fuiſſe meram vmbram, & pædagogum, quæ adueniente luce, ſeu Magiſtro legis Chriſto, debebant ceſſare.

Legis inſuper eiuſdem OPERA, cap. 4. v. 9. vocat Paulus *infirma & egena elementa*: & ad Hebr. 7. idem argumentum tractans, ait: *Reprobatio fit præcedentis mandati* (nempè Circumciſionis, ſeu rituum Moſaicorum) *propter infirmitatem & inutilitatem eius*; quia nempè (quod iam diximus) in operibus illius mandati, nulla erat vis Sanctificationis conferendæ: intuitu enim operis ipſius legalis, ſecundum ſe, vt cap. præced. dixi, Deus nullam gratiam conferebat; ſed tantùm ob fidem & charitatem hominis exercentis Opera illa.

Iam verò, ſi, quæ Paulus in epiſtola ad Galatas docet, de inanitate & infirmitate Operum legis, ad abolitionem eorundem, tu eadem vis de operibus cuiuſcunque legis accipi debere: ergo & Baptiſmus, & Euchariſtia, & quicquid demùm Chriſtus inſtituit, & præcepit, erit reprobandum, & abolendum. eritque dicendum: ſi baptizemini, ſi Euchariſtiam ſumatis, Chriſtus vobis nil proderit; & euacuati eſtis à Chriſto, qui in Religione, & lege Chriſti ſanctificamini. Et cap. 6. v. 15. *Nec præputium aliquid valet, nec Circumciſio* (addendum erit iam, nec Baptiſmus) *ſed noua creatura*; at, nonne iſta noua creatura exiſtit in Baptiſmo, qui propterea ad Tit. 3. v. 5. vocatur *lauacrum regenerationis*; & ad Ephes. 5.

 v. 26.

v.26. *lauacrum aquæ, quo Deus*, inquit Paulus, *ſanctificat Eccleſiam; ita, vt non habeat rugam, neque maculam.* Nonne verò hoc eſt eſſe nouam creaturam, quæ vi Baptiſmi exiſtat?

Hoc loco perpende, quanta ſit iniquitas Lutheri & Caluini, in legem, & Sacramenta Chriſti, dum Epiſtolam hanc Pauli ad Galat. ſcriptam ad abolendam legem, & ritus Moſaicos, tanquam inanes, detorquent ad euacuandam legem Chriſti; eiuſque Sacramenta.

Ad locum ex Iſaiæ cap. 64. v. 1. petitum, reſpondet optimè Bellarm. lib. 4. de Iuſtificatione, cap. 20. Illum non eſſe ad rem. Loquitur enim Iſaias, non in perſonâ ſuâ, vel aliorum iuſtorum; ſed in perſona Impiorum, ob quorum ſcelera tradendus erat totus populus in manus regis Babylonici, ſubditque: *Non eſt, qui inuocet nomen tuum, non eſt qui conſurgat*; & tamen Iſaias, & alij boni viri, proculdubio tunc nomen Domini inuocabant.

Nec moucaris, quod Iſaias dicat, omnes nos, generatim; nam Moyſes etiã Gen. 6. v. 12. dicit, Omnis caro corruperat viam ſuam; & tamen ibidem v. 9. vocat *Noe virum iuſtum, & perfectum.*

NB. Aduerſarij nil videntur ſcire de illa fiducia quã parit rectè actorum cõſcientia. Illud autem Gregorij homil. 1. in Euang. prorſus non intelligunt, vbi ad illa verba Luc. 12 Cum venerit (Chri-

Ad id, quod vltimo dicunt Aduerſarij, In noſtris Operibus nullam fiduciam ſalutis ponendam eſſe, Reſpondetur; In primis, non puto omnes antagoniſtas noſtros eſſe tam ſceleſtos, vt nihil omnino ſciant de fiducia, quam parit rectè actorum conſcientia: Porrò, licet vir iuſtus, ex vita ſua ſanctè peracta, magnam æterni gaudij fiduciam concipere poſsit; iuxta illud 1. Ioan. 3. v. 21. *ſi cor noſtrum non reprehenderit nos* (intellige in aliqua re magni momenti, nam alioquin, quod attinet ad leuia quædam, ex quo genere

nere ſunt verba ocioſa, vel quidpiã ſimile, peccatores ſumus omnes) *fiduciam habemus ad Deum*: Bellarminus tamẽ lib. 5. de iuſtificatione, rectè monet ex SS. Patribus tutiſsimum eſſe, rem totam miſericordiæ diuinæ committere, Primò propter incertitudinem veræ Reconciliationis; opera enim noſtra, vt ſupra diximus, nõ merentur, niſi prius ſimus reconciliati Deo; ipſiuſque Gratia adoptati in filios: at, num ita vere reconciliati ſimus, profitemur nos Catholici, cuilibet noſtrum in præſenti vita certo non conſtare; vnde, & docemus, nos, noſtris operibus, ac ſi ſint certiſsimò Deo accepta & meritoria, fidere non poſſe: ſed cum timore, & tremore ſalutem noſtram nos operari debere.

SECVNDÒ, tutiſsimum eſt, rem ſalutis noſtræ Diuinæ miſericordiæ committere, non proprijs operibus confidere, quia ſecuriùs vitatur periculum elationis. Neque etiam quiſquã propriæ virtutis ęſtimator eſſe debet; ſed potius cõtemptor, iuxta illud Lucæ 17. v. 10. *Cum feceritis omnia quæ præcepta ſunt vobis, dicite, ſerui inutiles ſumus*; quia hæc demiſsio, accumulat nouum meritum.

Etiamſi igitur quiſpiam tam ſanctè viuat, vt cum S. Paulo 1. Cor. 4. v. 4. dicere poſsit, *Nihil mihi conſcius ſum*, debet nihilominus addere, *ſed non in hoc iuſtificatus ſum*, id eſt, non propterea tamen me ipſum iuſtum pronuntio: ſed iudicium huius rei DEO committere debeo. Ille enim eſt, qui iudicat me: *Itaque ante tempus nolo iudicare*. (1. Cor. 4. v. 4. & 5.) *quouſque veniat Dominus, qui & illuminabit abſcondita tenebrarum* (vnde, & cap. 3. v. 13. dicit *diem Domini declaraturum opus vniuſcuiuſque*) *& tunc erit laus vnicuique à Deo.*

ſtus Iudex) & pulſauerit confeſtim aperiant ei. ſic habet. Venit Dominus cũ ad iudicium properat, pulſat cum iam per ægritudinis moleſtias mortem vicinam eſſe deſignat; cui confeſtim aperimus ſi hunc cum amore ſuſcipimus: Qui enim de operatione ſecurus eſt, pulſanti confeſtim aperit, quia latus iudicem ſuſtinet, & cũ tempus propinquæ mortis aduenerit, de gloria retributionis hilareſcit. De hac (inquam) pretioſa Sanctorum morte, & ſecuro ad glo-

riam retributionis abitu, aduerſarij, prorſus nil ſciunt.

at; qualis laus erit; ſi, quod aiunt Aduerſarij noſtri, omnia noſtra opera ſunt tantum peccata mortalia, & ſordes?

SYNOPSIS SECVNDÆ CONTROVERSIÆ, DE VTRAQVE SPECIE.

HAEC Controuerſia ad duo capita reducitur. Primum eſt: Chriſtus hoc ſacramentum ſub vtraque ſpecie inſtituit: nonne, vt ſub vtraque daretur? Reſpondeo 1. ſub vtraque illud inſtituit, vt ſub vtraque, & ſub alterutra dari poſsit, nam (vt cap. 1. oſtendo) à principio Eccleſiæ, & fuit vſus vtriuſque ſpeciei, & fuit etiam vſus vnius; atqui Chriſtus ipſemet (vt cap. 2. manifeſtè demonſtro) ſacramentum hoc, ſemel dedit ſub vtraque, ſemel ſub ſpecie Panis ſola. Apoſtoli etiam (vt cap. 3. efficaciter conuinco) nuſquam leguntur in Actibus, illud dediſſe ſub vtraque, ſed ſub ſpecie Panis ſola. Et ſi aliquando in primitiua Eccleſia nulla omnino fuiſſet viſa Communio ſub ſpecie Panis ſola, quando contra Sacram Scripturam & traditionem Apoſtolicam (vt volunt Aduerſarij) cæpiſſet primo videri communio ſub ſpecie Panis ſola, ante prorſus à fidelibus non viſa: tunc de hoc puncto religionis fuiſſet inter fideles lis excitata & agitata. Sed in omnibus retroactis ſæculis in nullo conuentu fidelium (vt cap. 1. doceo) reperitur agitata contentio de hoc articulo: an liceat, vel non liceat Laicis communicare

ſub

ſub ſpecie panis ſola. Tunc primo de hoc articulo lis cepit: quando VVicleph, & poſt eum, quidam Iacobellus & Huſs ceperũt publicè docere, calicem Laicis omninò eſſe neceſſarium. Hæc ergo eſt manifeſta hæreſis. Hæreſis enim eſt doctrina Religionis noua, à Chriſto, & Apoſtolis non accepta, ſed illi repugnans: quam vnus, aut alter ſeparans ſe à communitate fidelium, primùm docere incipit, cui, tanquam autori nouitatis, tota reliqua multitudo fidelium reſiſtit. Hinc pugna: At ſic eſt actum tempore VVicleph & Huſs, docentium neceſsitatem calicis: quo modo ſine dubio tunc etiam actum fuiſſet: quando primo vſus ſolius ſpeciei panis publicè cæpit; ſi hic ante, omnino in populo Chriſtiano non fuiſſet viſus, doctrinæ à Chriſto, & ab Apoſtolis acceptæ repugnans.

Quando ergò obiicitur. Chriſtus hoc ſacramentum ſub vtraque ſpecie inſtituit. Reſpondeo primo, ſub vtraque illud inſtituit: vt ſub vtraque, & ſub altera dari poſsit. ſicut & ipſemet, & Apoſtoli, & ſub vtraque, & ſub ſpecie Panis ſola, illud dederunt: vt cap. 1. 2. & 3. conuinco, &c.

Reſpondeo 2. Chriſtus hoc Sacramentum ſub vtraque inſtituit, ita, vt etiam ex ipſa inſtitutione appareat, non eſſe neceſſariam vtriuſq; ſpeciei coniunctionem, vnius enim ſpeciei inſtitutionem ab altera ſeiunxit, vt cap. 4. demonſtro; & ſicut cap. 3. ex geſtis Apoſtolorum, ita etiam cap. 4. ex inſtitutione Chriſti clarè oſtendo; vſum calicis, non eſſe æquè principalem, ac eſt vſus ſpeciei Panis; calicemque vi Inſtitutionis, ad ſubſtantiam cænæ non ſpectare; cùm per modum hauſtus, qui abſoluta cæna fit, ſic inſtitu-

tus. Præterea cap. 5. & 6. manifeſtè probo: calicem vi Inſtitutionis pertinere peculiari ratione ad Sacerdotes. Denique, ſi vi Inſtitutionis ſpecies vini æquè eſt neceſſaria ac panis: cur Chriſtus apud Lucam 22. & Paulum 1. Cor. 11. ſoli Pani abſolute ſubiecit: *Hoc facite in meam commemorationem*: Calici vero ſubiecit cùm limitatione libertatis: *Hoc facite, quotieſcunque bibetis*. Vide Caput octauum, Obiectione 4.

Atque hæc de priori parte controuerſiæ; quæ vrget neceſsitatem calicis, ex vi Inſtitutionis, de qua ſex noſtra capita priora agunt.

Altera pars controuerſiæ, quæ continetur cap. 7. vrget neceſsitatem calicis ex præcepto illo Chriſti, *Niſi manducaueritis meam carnem*; at eo loci (vt cap. 7. doceo) tantum fit mentio carnis, ſanguinis, & ſolius ſpeciei Panis, neq; aliud Chriſtus ibi agit, quàm, vt nobis omninò imprimat: ſuum verum ſanguinem, ſuam veram carnem, verè & realiter ſumi debere: quorum perceptione percipiatur vita æterna; etiam ſi illa duo accipiantur ſub ſola ſpecie Panis; cuius ſolius ibi fit mentio, eique Chriſtus, quater eundem fructum, qui ex ſumptione carnis & ſanguinis habetur, id eſt, vitam æternam adſcribit. Quæ autem fuit mens Chriſti Magiſtri, Iohan. 6. eadem eſt & Pauli diſcipuli, 1. Cor. 11. Scilicet inculcare: in hoc Sacramento ſumi verum, & reale corpus Chriſti, verumque ſanguinem; cuius vtriuſque quiſpiam fiat reus: etiam ſi hoc ſacramentum ſub alterutra tantum ſpecie ſumat indignè: nam idcircò Paulus, poſtquam ex geſtis & vltimis verbis Chriſti, in vltima nocte habitis; intulit alternatiuè; *Itaque quicunque manducauerit panem hunc*, VEL *biberit calicem indignè:*

gne: proxime ſubiicit non alternatiuè, ſed coniunctiuè, dicens: *Reus erit corporis & ſanguinis*: vide capite 7. & capite 8. obiectione tertia.

Quæres, cùm à principio Eccleſiæ, (vt cap. 1. doceo) hoc ſacramentum, & ſub ſpecie Panis ſola, & etiam ſub vtraque ſit datum laicis: cur iam non ampliùs? Reſpondeo: nos huius rei varias & grauiſsimas attuliſſe in illo capite rationes: Illa eſt maximi momenti: quia his temporibus CALIX hæreticè obtruditur. Obtruditur enim; vel primò, vt reddatur mendax Sacra Scriptura, ex qua Iohan. 26. Epheſ. 5. 1. Timoth. expreſsè habetur Eccleſiam errare non poſſe. At obtruſores CALICIS putant; illã de facto errare, nõ dando Laicis calicẽ, ex inſtitutione & præcepto Chriſti neceſſariũ, idq́, aduerſarij arbitrabantur, ſe demonſtrare ex illo; *Bibite omnes*, de quo cap. 6. & cap. 8. obiect. 5. Vel, ſecũdo, obtruditur CALIX, quòd ſub ſpecie Panis non plus contineatur, quàm quod his verbis exprimitur: *Hoc eſt corpus meum*; & quia ſub neutra ſpecie, diuinitas & anima Chriſti exprimitur: hinc ſequitur ſub neutra ſumi Chriſtum integrè DEVM & hominem; caro enim deſtituta ſanguine, anima, vita, diuinitate: nec eſt DEVS, nec homo. Similiter & ſanguis ſolus: Vel tertiò petitur CALIX hac ætate ab hominibus, qui ſubdubitant: ſeipſum verum & reale corpus Chriſti reipſa ſumere. Si enim firmiter crederent; ſub ſpecie Panis ipſum corpus Chriſti verum contineri: cùm ſanguis à corpore Chriſti vero iam non poſsit ſeparari, quo modo ſumendo corpus, cum Eccleſia expoſtularent; quod ipſis ſanguinem CHRISTI neget?

SECVN-

Dum Recumberet, Accepit panem, Benedixit. Fregit, & Porrexit.
Diſcubuit. Accepto pane, Gratias egit. Fregit. & Dedit.



Dum Recumberet: Accepit panem, Benedixit: Fregit & Porrexit illis, & Aperti ſunt oculi eorum; & ipſe euanuit ex oculis eorum.
Lucæ 24. Lege cap. 2. Controuerſiæ huius.

Diſcubuit, Accepto pane: Gratias egit. Fregit. & Dedit.

Similiter & CALICEM *poſtquam cænauit*: Luc. 22.
Vide cap. 4. huius Controuerſiæ.

Itaque qui manducauerit panem hunc, VEL ***biberit calicem indignè: reus*** *erit corporis & ſanguinis*. 1. Cor. 11.
vide cap. 7. Controuerſiæ huius.

SE-

Digitized by Google

SECVNDA CONTROVERSIA

DE SACRA EVCHARISTIA ſub vna ſpecie ſumenda.

CAPVT I.

OSTENDITVR: A CHRISTO inſtitutum eſſe Sacroſanctæ Euchariſtiæ Sacramentum ſub vtraque ſpecie: vt & ſub vtraque, & ſub altera dari poſſit; iuxta perſonarum, temporum, & locorum conditionem.

LICET CHRISTVS Dominus ſanctiſsimum Euchariſtiæ Sacramentum ſub vtraque ſpecie, Panis nimirum, & vini inſtituerit; non tamen voluit, vt neceſſario, & ſemper ſub vtraque ſumeretur. Inſtituit ergo illud ſub vtraque; vt & ſub vtraque, & ſub altera dari poſſit; prout nimirum attendendo ad Perſonarum, temporum, & locorum conditionem, Eccleſia, & ij, quos S. Paulus 1. Cor. 4. v. 1. *Diſpenſatores Myſteriorum* DEI appellat, iudicârint expedire. Id conuincitur 1. ſic: quia à principio Eccleſiæ, & fuit vſus vtriuſque ſpeciei, & fuit etiam vſus vnius. Chriſtus enim ipſemet Sacramentum

mentum hoc ſemel dedit ſub vtraque; ſemel ſub vna: vt cap. 2. manifeſtiſsimè conuincetur: & in Actibus Apoſtolorum nunquam reperitur datum hoc Sacramentum, niſi ſub ſpecie panis ſola, vt cap. 3. demonſtrabo. Et ſi aliquando in primitiua Eccleſia nullus fuiſſet omnino vſus vnius ſpeciei; quando contra Scripturas ſacras expreſsè, & totam Traditionem, & contra ſalutem animarum (vt volunt Aduerſarij) cæpiſſet primum vſus iſte vnius ſpeciei, ante prorſus non viſus: tunc ſine dubio de hoc puncto fuiſſet lis excitata, & agitata, Nouatoribus tēporis illius hoc inuentum tunc prorſus nouum contraque ſacras literas, & veterum Traditionem erectū, propugnantibus: Eccleſia vero legitima Scripturis & traditionibus eoſdem condemnante, atque anathematizante: quando enim vnquam aliquid Scripturæ vel Traditioni Apoſtolicæ repugnans, primum cœptum eſt doceri publicè, & non eſt excitata contentio? nec erecti animi ad id oppugnandum, & expugnandum. Atqui à primordio Eccleſiæ, per mille & quadringentos annos vſque ad tempus VVicleph nulla reperitur inter fideles agitata contentio de eo, quòd Laicis non liceat communicare ſub vna. Illud ſolum habemus apud Leonem ſerm. 4. de Quadrageſ. nempè Manichæos, ne veritatem veræ carnis CHRISTI profiterentur, à ſumptione Sanguinis Euchariſtici, omnino abſtinuiſſe: verba Leonis „ hæc ſunt: Chriſtum Dominum noſtrum, ſicut „ in veritate carnis noſtræ denegant natum: ita „ mortuum verè; & reſurrexiſſe non credunt: „ Cumque ad tegendam infidelitatem ſuam, no„ ſtris audeant intereſſe Myſterijs: ita in Sacra-

mento-

mentorum communione ſe temperant: vt in- „
terdum tutius lateant, ore indigno Chriſti „
corpus accipiunt, Sanguinem autem redemp- „
tionis noſtræ haurire omnino declinant, quod „
ideò veſtram volumus ſcire ſanctitatem, vt „
vobis huiuſcemodi homines, & his manife- „
ſtentur indicijs, & quorum fuerit ſacrilega ſi- „
mulatio, notati & proditi, à Sanctorum „
Societate pellantur authoritate Sacerdotali. „
Ex his Leonis Papæ verbis habetur 1. Tempore Leonis fuiſſe quidem in Eccleſia vſum vtriuſque ſpeciei: fuiſſe tamen etiam iam vſum vnius. Ideò enim inditium manifeſtans Manichæum negantem veram carnem Chriſti erat: quod ſcilicet abſtineret à calice omnino) vt textus habet) quaſi dicat: non aliquando tantùm vt etiam faciunt Catholici; qui licet ſubinde abſtineant à calice: non tamen omnino: id eſt, non obſtinate, & ſemper quemadmodum Manichæi. Et niſi tunc Romæ fuiſſet inter Catholicos aliquis vſus etiam vnius Speciei, ſed omnes ſemper debuiſſent ſumere ſub vtraque: certè Manichæi, qui ſemper accipiebant ſub vna, non ſe immiſcuiſſent Catholicorum Communioni; vt hac ſimularent, ſe Catholicos. Non fuit igitur iam tunc ſumere ſub vna, res prorſus non viſa: 2. patet ex doctrina Leonis, temporibus illis non fuiſſe litem: An Euchariſtia ſub vtraque; an vero ſub vna à laicis eſſet percipienda, ſed: An Chriſtus habuerit veram carnem: quæ verè fuiſſet mortua, & verè excitata. Ad quam veritatem opprimendam Manichæi hæreticè abſtinebant à calice. 3. patet Leonem non dicere: Manichæos eſſe authoritate Sacerdotali pellendos & anathematizandos: quod, ſub vna

NB. Si Communio ſub vna fuiſſet olim inter Catholicos res prorſus non viſa Manichæi cõmunicantes ſẽper ſub vna nullo modo Communicaſſent cum Catholicis, vt Communione ſimularent ſe Catholicos.

NB Leo non cõ-

Digitized by Google

demnat Manichæos quod Communicent ſub vna ſed quod Communione Catholicorum ſacrilegè ſimulent, ſe Catholicos: cũ ſint hæretici, negando Chriſtum habuiſſe veram Carnẽ, Sanguineã. humanam, &c.

ſub vna ſpecie, Euchariſtiæ Sacramentum acciperent; ſed quod communione Catholicorum ſacrilegè ſimularent, ſe eſſe Catholicos, cum eſſent hæretici, negantes Chriſtum habuiſſe veram carnem humanam.

Apud Gratianum quoque Can. 12. de Conſecrat. ex quodam fragmento Gelaſij, quod „amplius non extat, legimus hæc: Cõperimus, „quod quidam, ſumpta tantummodo Corpo„ris ſacri portione, à Calice Sacri cruoris abſti„neant. Qui proculdubio (quoniam neſcio „quâ ſuperſtitione docentur adſtringi,) aut „Sacramenta integra accipiant; aut ab integris „arceantur: quia diuiſio vnius & eiuſdem My„ſterij, ſine grandi ſacrilegio, non poteſt prouc„nire.

Hic notandum; omnes illos canones, quos ibi congeſsit Gratianus, (quod legentibus patet) hoc agere, quod cœptum Sacrificium, ſeu Myſterium Altaris à Sacerdote debeat conſummari: aliàs committi Sacrilegium: damnãturque presbyteri, qui conſecrant, & deinde vel à ſumptione Sacramẽti penitus abſtinent: vel ſaltem à calice: idq; ex ſuperſtitione Priſcillianiſtarũ, qui omnem vſum vini, omnino illicitum dicebant. Vnde canon vndecimus ſic concludit: Quotieſcunq; ſacrificans corpus ac Sanguinem IESV CHRISTI in Altari immolat: toties perceptionis Corporis & Sanguinis participem ſe faciat. Hinc D. Thom. in 4. diſt. 12. art. 2. & Archidiaconus, explicantes illa verba, *Ab integro arceantur* aiunt: aut ambo accipiant, aut abſtineant à celebratione Miſſæ: vt neutrum conficiant.

Atque capitulo illi Gelaſij eſt præfixus titulus: Corpus Chriſti ſine Sanguine Sacerdos

non

non debet accipere. Ibi ergo, vt videre licet, „ non agitur de Euchariſtia ſub vna, vel ſub v- „ traque ſpecie tribuenda Laico: ſed tantum de „ Sacrificio cœpto, conſummando, & perfici- „ endo. Communio autem Laicorum eſt tantum participatio ex Sacrificio, ad illius integritatem vel ſubſtantiam non pertinens. ac proinde ſiue iam ſub vna, ſiue ſub vtraque ſpecie peragatur: nihil ad perfectionem ſacrificij, de quo ibi eſt ſermo.

De hoc itaque puncto. An ſcilicet Laicis licita eſſe poſsit communio ſub vna ſpecie; nullam in Eccleſia, ante VViclephum, altercationem legimus factam fuiſſe; cum tamen multis ante ipſum annis fuerit iam frequentior vſus vnius ſpeciei, quam vtriuſque.

Adde, quòd Græci quidem communicent ſub vtraque ſpecie, & ijdem licet Latinis ſint infenſiſsimi, conuenerintque ad Concilium Florentinum, vt aliquo prætextu ſeſe à Latinis ſepararent, quo etiam fine grauiſsimè expoſtularunt nobiſcum, quod ſymbolo Conſtantinopolitano adieciſſemus vocabulum, FILIOQVE: tamen de communione ſub vna ſpecie, ne verbum quidem fecerunt. In illo ſolùm fuit controuerſia. An in Azymo pane, vel fermentato Corpus Chriſti confici debeat: de calicis verò vſu, quod is Laicis neceſſarius, aut non neceſſarius ſit, nec verbulo quidem fecerunt mentionem. At, quomodo de hoc puncto plus, quã de vllo alio non expoſtulaſſent: ſi putaſſent, cõſtare, vſum vnius ſpeciei non licitum eſſe; ac proinde Eccleſiam Latinam hac ex parte poſſe dãnari? Nec ignorare potuerunt Græci: vſum vnius ſpeciei in Eccleſia Latina communem fuiſſe:

NB. Licet Græci communicẽt ſub vtraque tamen nec ipſi, nec vlla alia natio vnquam, pro neceſſario Calicis vſu cum Eccleſia pugnauit, excepto ſolo ſeptentrione, qui vino magna ex parte caret, (vnde valde illud æſtimat, & etiam libentiſſime bibit.

 quia

Manichæi vero, Afri, quibus aqua ſapit, olim Calicem quia concilia Conſtantienſe & Baſileenſe ſub eadem tempora fuerunt facta, in quorum vtroque, iam non amplius vtriuſque, ſed vnius ſpeciei vſus iam communis fuit approbatus.

omnino recuſarunt: itaque hu'us farinæ homines, iuxta appetitum vini vel aquæ, Sacram Scripturam interpretantur. Quod ſi Chriſtus hoc Sacramentum ſub ſpecie aquæ inſtituiſſet: de eiuſmodi ſpecie non fuiſſent tā ſolliciti VVicleph (cum Anglis) Huſs (cum Bohemis) Lutherus (cum Saxonibus qui tres ſunt primi celebres authores pugnæ, pro ſpecie vini, quæ illis potius eſt cordi, quam veritas Sanguinis Chriſti: imo hæc Vuiclepho & Caluino nullo modo eſt cordi.

Ante VVicleph itaque & Huſs. inter fideles Chriſti nunquam fuit lis de Calice: ſed tunc primum orta eſt de hoc negotio pugna, quando VVicleph, & poſt illum, quidam Iacobellus Pragenſis prædicator, & Huſs cœperunt publicè docere: Calicem Laicis omnino eſſe neceſſarium. Hæc ergo eſt manifeſta Hæreſis. Hæreſis enim eſt doctrina à Chriſto & Apoſtolis non accepta, ſed illi repugnans; quam aliquis vnus & alter ſeparans ſe à communitate aliorum Chriſti fidelium, primum docere incipit, cuique tanquam authori noui dogmatis, ab Apoſtolis non accepti, tota reliqua multitudo fidelium reſiſtit. Inde pugna. cuiuſmodi pugna ſine dubitatione fuiſſet: quando vſus vnius ſpeciei cæpit; ſi hic antea fuiſſet prorſus inuiſus, & conſuetudini, & Traditioni ab Apoſtolis acceptæ omnino repugnans. Et ſic etiam tunc actum.

NB. Quia neceſſitas Calicis pro laicis, fuit noua in Eccleſia prius non audita, ideo excitauit pugnam.

NB. Hæc coniectura conuincit vſum vnius ſpeciei nunquam fuiſſe omnino non viſum in Eccleſia.

„ VViclepho enim, & poſt illum Iacobello
„ Pragenſi, & Huſs, vnicis authoribus pugnæ
„ pro omnimoda neceſsitate calicis deſudanti-
„ bus (in qua pugna tot iam hominum millia
„ animo & corpore perierunt) reſtiterunt, tum
„ Academiæ Catholicæ doctiſsimæ, tum inte-

gra

gra Concilia; Conſtantienſe (cui interfuerũt „
5. Patriarchæ, 33. Cardinales. 47. Archiepiſ- „
copi. 228. Epiſcopi. 227. Doctores ſacræ „
Scripturæ 361. Doctores vtriuſque iuris: qui- „
bus quis non plus credat, quàm vni Huſs?) Et „
Baſileenſe: quæ primo ſumptionem Euchari- „
ſtiæ ſub vna ſpecie non introduxerunt: Ne- „
que etiam in tota antiquitate reperitur vllus „
vel Pontifex, vel Pontificius, vel Concilium, „
(quibus ſolis Luther & Caluinus bellum indixerunt) à quo primùm communio ſub vna fuerit inducta. Quæro enim quis Pontifex, quodue concilium ſit illud?

Quod ſi dicas, neque Pontificem, neq; Pon- „
tificium quempiam; ſed homines eius farinæ, „
cuius sũt Lutherani, & Caluiniſtæ, id eſt, Ma- „
nichæos hæreticos, Pontifici Leoni, & Ponti- „
ficijs contrarios, primo hanc hæreſim communicandi ſub vna ſpecie introduxiſſe. Aio cõ- „
tra. Si hæc eſt hæreſis: cur Leo Pontifex non dicit; Sacerdotali authoritate pellendos Manichæos, quòd ſub vna ſpecie communicent? ſed, quòd communione Catholicorum, ſimulent „
ſe Catholicos eſſe, cùm non ſint, quod Chri- „
ſtum in vera carne natum eſſe negent? Cur etiam Auguſtinus, Epiphanius, & alij; qui accuratè notarunt Manichæorum errores, non monuerunt, eos erraſſe: quòd ſub vna ſpecie Euchariſtiam ſumerent; ſi hunc errorem eſſe putarunt? Quid? cur ipſe Leo Pontifex, populum Romanum ſerm. 4. de Collectis, & ſerm. 5. de Ieiunio, & alibi etiam, diligenter informans de erroribus Manichæorum (qui ex Africa venerant) vt populus Romanus ab illorum erroribus ſibi caueret: cur, inquam, non monuit eundem popu-

NB. Dic quis Pontifex ſit primus auctor vnius ſpeciei?

lum, vt ſibi caueret ab vſu vnius ſpeciei? qui ſanè vſus, ſi tunc fuiſſet nouus, & inter Catholicos antea omninò non viſus; Manichæi prorſus inſolito hoc modo communicandi, nulloq; modò ſe immiſcuiſſent communioni Catholicorum, vt ea ſimularent ſe eſſe Catholi- » cos.

Non igitur, iam adducta Concilia Conſtantienſe & Baſileenſe, ſumptionem Euchariſtiæ ſub vna ſpecie primò inuexerunt in Eccleſiam; ſed, cùm tunc, inter Laicos non amplius eſſet communis vſus vtriuſque ſpeciei; ſed vnius tantum, vnius etiam ſpeciei iam communem vſum approbarunt.

Licet autem tum ad voluntatem Chriſti, tum ad praxim eiuſdem, & Apoſtolorum, Eccleſiæque attendendo ſimpliciter non referat, ſub vnáne ſpecie Laici, an ſub vtraque Euchariſtiam percipere debeant; iure tamen dicta Concilia, & præterea Tridentinum, vſum, nō amplius communicandi ſub vtraque, ſed ſub vna tantum approbarunt. *Primò*, vt condemnaretur error Huſs, & aliorum, qui, Sacra Scriptura contradicēte, Ioâ. 26. ad Epheſ. 5. 1. Timoth. *Secundò*, volūt Eccleſiā errare in fide; dum docet: calicis vſum non eſſe neceſſarium Laicis. 2. dicta Concilia approbarunt communem vſum ſub vna, propter nimium, & frequens periculum effuſionis, quod naſcitur, partim ex multa copia vini conſecrandi, partim ex multitudine accedentium ad Euchariſtiam: (quæ, cum in primitiua Eccleſia non fuerit tanta, ac poſterioribus ſæculis: facilius etiam dari calix poterat) partim ex refrigerata charitate & religione tractandi res diui-

NB. Eccleſiam errare eſt expreſsè contra Scripturam; dum ergo Huſs & ſocij ſugillāt Eccleſiam, quod erret, non dando calicem laicis: expreſſe contradicūt Sacræ Scripturæ.

NB. Sumptio ſub

diuinas: quæ charitas & religio homines olim ad ſeueriſsimas pœnitentias, ob guttulæ minimæ effuſionẽ obeundas, adigebat: vt videre eſt in antiquis Eccleſiæ Decretis. *Tertiò*, propter irreuerentem tractationem Sanguinis Chriſti: quæ ex tribus capitibus iam enumeratis enaſcitur: dum ſcilicet magna multitudo hominum, ad ſumẽdum confertim confluit, puerorum, ſemiſtolidorum, ruſticorum, hominum barbarorum, quorum aliqui vix ſpeciem panis cum debita reuerentia norũt ſumere: alii barbam inficiunt, alij labia Sanguine madida, ſtatim ſuo ſtrophiolo, vel manu, vel manica thoracis abſtergunt; alij ex eodem poculo bibere cum alijs horrent: ſiue quòd metuant alterius oris infectionem, ſiue quòd ſaliuas alterius influxiſſe vident. Et tamen ſi quis ineptè cum Luthero & Caluino ex illo, *Bibite omnes*, vrgere velit: omnibus eſſe bibendum, pariter concedere debebit omnibus ex eodem numero, calice eſſe bibendum: dixit enim Chriſtus, vt *ex hoc*, quem ipſe illis dedit, & non ex alio, omnes biberent. Et ſanè voluit Chriſtus, vt ex illo eodem, quem tũc propoſuit, & non ex alio, biberent omnes aſsidentes. *Quartò*, Ne ſit neceſſarium ſpeciem vini conſecratam, in ſacrario conſeruare; quod fieret cùm corruptionis periculo: & multis in locis hyemis tempore congelaretur, & cũ periculo ad domos ægrotantiũ deferretur. *Quintò*, quod in tãta multitudine Chriſtianorũ, multi ſint abſtemij: quorum aliqui vinum prorſus ferre non poſſunt: aliquos vero vinum, ſaltem ad nauſeam prouocat. *Sexto*; Quod etiam in integris Regionibus vix haberi poſsit vinum pro Miſſa, ne-

Species panis sola facit ad maiorem reuerentiam tanti Sacramenti.

dum pro communione totius multitudinis; ſi præſertim fiat ſæpius; quod vſus huius Sacramenti (quia eſt pabulum animæ; refectio autem non vna tantum vice fit, ſed ſæpius) ex ſua inſtitutione poſtulat. Vt ergo in hoc Sacramento, (quod Sacramentum eſt vnionis) eſſet conformis conſuetudo in cætu vniuerſo fidelium: Benè Eccleſia, omnibus Sacrificantibus vtramque: omnibus non ſacrificantibus verò, ſiue ſint Sacerdotes, ſiue non, vnam ſolum ſpeciem tribuit.

NB. Omnes, etiamſi ſint Sacerdotes, quando non ſacrificant, communicant, ſub vna ſpecie.

Demum ex eo capite, iure optimo Concilia illa ſtatuerunt; ne Laicis amplius daretur Euchariſtia ſub vtraque: quod communio illa Laicorum ſub vtraque hac noſtra ætate ſit tegumentum omnis factionis hæreticæ noſtrorum tēporū; (hinc n. eſt, quòd omnes factiones horū temporum Huſsitæ, Lutherani, Piccarditæ, Caluiniſtæ, Anabaptiſtæ, vocent ſe; *Religionis ſub vtraque*) & vtramque ſpeciem factioſè, & hæreticè petunt. Vel primò: quia putant, vtramque omninò eſſe neceſſariam; & proinde Eccleſiam quod vnam det, errare in fide. at Eccleſiam errare, expreſſe repugnat Scripturæ. Vel ſecundò: petunt vtramque, quia putant; ſub ſpecie panis, nil amplius reipſi contineri, quàm quod Chriſtus his verbis expreſſit; *hoc eſt corpus meum*; & quia nec animæ, nec diuinitatis fit mentio; inde ſequitur; ſub neutra ſpecie ipſum Chriſtum Deum & hominem ſumi, cùm tamen Chriſtus Ioan. 6. affirmet; ſe eſſe panem vitæ, qui de cœlo deſcendit, &, *qui*, inquit, *manducat me, ipſe viuet propter me*: at me non carnem tantum deſtitutam Sanguine, anima, vita, & diuinitate; ſed Chriſtum Deum & hominem (neque enim corpus Chri-

NB. Quid lateat hoc tempore ſub neceſſitate vtriuſque ſpeciei, latet enim ſub illa omnis factio hæretica Lutheranorū, Caluiniſtarum, Anabaptiſtarū, omnes enim hi vocant ſe religionis ſub vtraque.

NB Eccleſia ideo his temporibus calicem non admittit, quia hæreticè obtruditur.

Chriſti ab eius Sanguine, anima, & diuinitate amplius ſeparari poteſt) ſignificat; vel certè tertiò: petunt vtramque ſpeciem: quia ſubdubitant, ſe ipſum verum & reale corpus Chriſti re ipſa ſumere. Si enim hoc firmiter crederent, nimirum: ſub ſpecie panis ipſum verum corpus Chriſti re ipſa contineri; cum Sanguis à vero corpore Chriſti reipſa non poſsit ſeparari: quomodo verum corpus ſumendo cũ Eccleſia expoſtularent: quod ipſis Sanguinem Chriſti, neget? Valet ergo sũptio ſolius ſpeciei panis noſtris temporibus, vt populus firmiter intelligat, & bene apprehendat: ſe ſub ſpecie panis ſumere re ipſa ipſum verum carneum, Sanguineum corpus Chriſti; & nõ tantum ſumere ſignum quoddam, quaſi chartaceum huius Corporis, vt docuit VVicleph noſtris temporibus, primus autor neceſsitatis calicis dandi Laicis, qui vtramque ſpeciem obtrudit: vt Chriſtum ab vtraque extruderet; Docuit enim: Chriſtum non eſſe in Sacramento, niſi ſignificatiuè; &, quia ſpecies panis ſeorſim ſolùm corpus Chriſti ſignificat, vinum autem ſolùm Sanguinem: ideò ex ipſius perfidia neceſſario ſequitur: Chriſtũ nõ poſſe ſumi integrè, niſi ſub vtraq; ſpecie ſumatur.

NB. Ad quod valeat hoc tẽpore ſumptio ſub ſpecie Panis ſola.

NB. Berengarius ante VViclephum negauit realem præſentiam Chriſti in Euchariſtia, ſed VVicleph primus omnimodam neceſſitatem Calicis ex Sacramentaria perfidia proclamauit.

Itaque Sacramentaria perfidia negans in Euchariſtia veram & realem Chriſti præſentiam, fuit noſtri temporis prima genitrix neceſsitatis vtriusque ſpeciei ſumendæ.

Quid ergo mirum, quòd Eccleſia Catholica, vtriusque ſpeciei obtruſionem, ex huiuſmodi principijs noſtris temporibus ortã, diuino Spiritu ſentiens, abominetur? Et quia ipſa verbis Chriſti plenam fidem dat; & firmiter credit; ſub ſpecie panis ſumi ipſum verum reale corpus

Digitized by Google

CHRISTI reipſa , ideò,cùm hoc ipſum ſit viuum,immortale,Diuinum, diuiſionem Sanguinis,animæ,& Diuinitatis reipſa nullo modo patiens; Eccleſia nil prorſus dubitat: ſe reipſa ſub ſpecie panis totum , Chriſtum Deum & hominem ſumere. vnde quoad Chriſtum ipſum verè & integrè ſumendum, planè non eſſe opus aliâ ſpecie. Id ergo vtraque ſpecies Hæreticorum petit: vt Chriſtus reipſa ab vtraque extrudatur, nam ſub neutra Chriſtum reipſa, ſed ſolùm eius ſignum ſumi docent VVicleph, Caluinus, & Anabaptiſtæ. Et licet Lutherus: ſub ſpecie Panis velit realiter Chriſti corpus contineri, quia tamen vult: illud ſolùm ibi eſſe, ideò Chriſtum re ipſa diuidit , atque Sanguinem Diuinitate; corpus verò Diuinitate, anima, Sanguine, & vitâ deſtitutum tradit, contra D. Paulum; *Chriſtus iam non moritur.*

Sed reuera, nec Lutheri, nec Caluini miniſtri (niſi prius apud nos in Sacerdotes conſecrati fuerint, & à nobis defecerint) ſub vlla ſpecie verum Corpus Chriſti, ſiue viuum, ſiue mortuum diſtribuunt. Quia Chriſti corpus conficiendi poteſtas eſt penes Sacerdotes ſolos: quemadmodum hæretici ipſi nobiſcum fatentur. At ab initio Eccleſiæ, omnibus ſæculis, nullus vnquã eſt habitus Sacerdos, niſi is, cui imponeret manus Epiſcopus. Et hoc, præter Scripturas Sacras, *Act.* 6. *v.* 6. *& ibidem cap.* 13. *v.* 3. 1. *ad Timoth.* 4. *v.* 14. *Et cap.* 5. *v.* 22. 2. *ad Timoth.* 1. *v.* 6. Scimus eadem via, qua ſcimus: Euangelia Matthæi, Marci, Lucæ, Ioannis eſſe vera; non vera Thomæ, Bartholomæi &c. neque enim hæc, talia eſſe, alio modo ſcimus , niſi quod ipſa pro talibus ſemper fuerint habita ab Eccleſia: quamuis vnus aut al-

ter,

Digitized by Google

ter, qui pro hæreticis ſunt habiti, Euangelium Matthæi, & Ioannis, verum eſſe negarint. Similiter ergo pro Sacerdotibus veris, illi ſoli & non alij ſemper habiti ſunt; quibus Epiſcopi manus impoſuiſſent (licet & hoc vnicus Aërius hæreſeos conuictus negauerit) vnde ad hunc finem etiam Lutherani & Caluiniani ſuis miniſtris manus imponunt: at, quia manus ipſorum Epiſcopales manus non ſunt: nullum verum Sacerdotem efficiunt. primi enim authores, Lutherus, & Caluinus (vt omnibus conſtat) non fuerunt Epiſcopi: proinde nec ij, qui ab his duobus deſcendunt, Sacerdotes ſunt; & multò minus Epiſcopi, qui manuum impoſitione Sacerdotes creare poſsint.

Dum igitur infelices iſti vtramque ſpeciem obtrudunt, efficiunt, vt homines ſimplices vtramque inanem, & ſine Chriſto percipiant.

NB. Quæ ſit aſtutia Diaboli, qui vt homines vero Corpore & vero Sanguine Chriſti priuet, eos ſub ſpecie neceſſitatis vini ſumendi ad miniſtros hæreticos aduocat, qui cum non ſint Sacerdotes, nec corpus, nec Sanguinem Chriſti conficere poſſunt.

CAPVT II.

Demonſtratur omnino, Chriſtum in Emaus, tantum ſub ſpecie Panis dediſſe Sacramentum Euchariſtiæ.

IAM Scripturis agamus, &, vtriuſque ſpeciei ſumptionem non eſſe Laicis neceſſariam, efficaciter oſtendamus.

Et in primis, ſi exemplo Chriſti vtraq; ſpe-

cies huius Sacraméti ſemper & neceſſariò coniungi debet: quomodo ergo Chriſtus in Emaus ſuis diſcipulis illud tantum ſub vna ſpecie, nempè Panis, dedit? Panem enim illum fuiſſe veram Euchariſtiam nonnulli etiam ex aduerſarijs claritate textus conuicti affirmant: ſcilicet Melancthon in Apologia confeſsionis Auguſtanę, & Kemnitius. Reſpondent autem: in fractione Panis, cuius ibi fit mentio, per figuram Intellectionis ſignificari totum Sacramentum ſub vtraque ſpecie. At Hiſtoria Euangelica ita coniungit diſtributionem Panis conſecrati cum Domini receſſu, vt nullum relinquat locum benedicendo, aut diſtribuendo Calici. Sic enim loquitur: *Et factum eſt, dum recumberet cum eis, accepit panem, ac benedixit, & fregit; & porrigebat illis: & continuo aperti ſunt oculi eorum: & cognouerunt eum: & ipſe euanuit ex oculis eorum.*

Præterea, Panem illum fuiſſe veram Euchariſtiam antiqui Patres pro indubitato ſupponunt. D. Hieronymus in Epitaphio Paulæ ad Cuſtodium, Auguſtinus lib. 3. de conſenſ. Euangeliſt. cap. 25. & ſerm. 146. de Tempore. Et Epiſt. 59. ad Paulinum q. 8. Author imperfecti operis, homil. 17. in Matthæū in fine. Theophil. in cap. vlt. Lucæ &c. quorum teſtimonia legere poteris apud noſtrum P. Keller. Tom. 2. contra Hailbrun. art. 13. ſ. 1. fol. 669. Et in primis lege ibi luculentum teſtimonium Chryſoſt. At Patres nunquam ſuppoſuiſſent: hunc Panem fuiſſe veram Euchariſtiam, ſi putaſſent, hanc exemplo Chriſti, ſine calice dari non poſſe. Eſſe enim hunc Panem ſine calice datum, ex textu tam clarum eſt: vt propterea maxima pars Aduerſariorum neget: illum fuiſſe veram Euchariſtiam

NB *Si quemadmodum Lucas 24. dix-*

riſtiam, quod ſcilicet, ſine calice ſit datus. Alias ſi Aduerſarij in textu reperirent minimum locum pro calice, cùm panem illum Notis Euchariſtiæ clarè videant deſcriptum, ipſum ſine vllo dubio Euchariſtiam fuiſſe pronunciarent; at, quia in textu non inueniunt locum pro calice: ideò panem illum volunt non fuiſſe Euchariſtiam, ſecus docturi certiſsimò, ſi Euangeliſta, vt dicit: Chriſtum accepiſſe illum panem, benedixiſſe, fregiſſe, dediſſeque; adiunxiſſet: ipſum etiam tunc calicem, accepiſſe, benedixiſſe, dediſſeque diſcipulis, dicendo: Bibite vterque.

it, Chriſtum accepiſſe panem, benedixiſſe, fregiſſe, dediſſe, adiunxiſſet. Similiter & calicem accepit benedixit, dedit, tunc panis ille ſecundũ aduerſarios certò fuiſſet Euchariſticus, ſed quia Lucas, nullam omninò fecit mentionem Calicis, ideò Panis ibi deſcriptus debet non fuiſſe Euchariſticus, licet ſex Notæ prorſus conuincant ipſum fuiſſe veram Euchariſtiam.

Fuiſſe autem illum Panem veram Euchariſtiam, præterquam quod conſtet ex ſenſu Patrum: Probatur 1. quia ijſdem notis, & eodem omnino verborum ordine, quo omnes Euangeliſtæ deſcripſerunt myſterijs plenam actionem Chriſti, in vltima Cœna, Lucas 24. c. deſcribit actionem illam Chriſti in Emaus. Ergò mens Lucæ fuit deſcribere eandem actionem quam deſcripſit c. 22. Conſequentia patet; Antecedens probatur; quia illam priorem ſic deſcripſit Lucas cap. 22. *Diſcubuit, & duodecim Apoſtoli cum eo, & accepto pane gratias egit ac fregit, & dedit illis.* Similiter Matthæus 26. Marcus 14. ſic habent: *Et manducantibus illis, accepit Ieſus panem, & benedicens fregit, & dedit eis.* Eadem prorſus verba habet D. Lucas cap. illo 24. *Et cum recumberet cum eis, accepit panem, & benedixit, fregit, & porrigebat illis.* Primò igitur, ſicut Matthæus & Marcus dixerunt: *cœnantibus illis*, Græcè *edentibus illis*, in Aoriſto. & ſicut Lucas cap. 22. dixerat, *Diſcubuit & duodecim Apoſtoli cum eo.* ſic ipſe Lucas cap. 24. dicit in Aoriſto *diſcumbentibus*, id eſt, vbi iam edere cœperant, ſeu vbi iam diſcuberãt.

Prima nota Euchariſtici Panis. POSTQVAM DISCVBVIT.

Quod

Quod eo ſpectat: vt intelligatur: benedictionem hanc Lucæ 24. non fuiſſe benedictionem communem, quæ menſæ præmitti ſolet; ſed fuiſſe, benedictionem ſingularem illam, ab omnibus tribus Euangeliſtis (Matth. 26. Marci 14. Lucæ 22.) notatam peculiariter in cœna; quæ ſcilicet poſtquam iam accubuerant, ſub ratione Myſterij adhibita fuit.

Secunda nota: Accepit.

Nec ſatis habuit Euangeliſta, dixiſſe: poſtquā iam cum Diſcipulis accubuiſſet, *benedixiſſe panem:* (benedictionem illam plenam myſterio indigitans) ſed addit, quod (ſicut & in cœna omnes tres Euangeliſtæ notarant) *Panem* in manus *acceperit Chriſtus:* At, quando communi benedictione benedicitur menſa; cibi, & panes relinquuntur in menſa; non ſumuntur in manibus à benedicente menſam. Tertiò addit Euangeliſta; quòd Chriſtus acceptum *panem* in manus *benedixerit*: nonne vt ſignificaret: benedictionem hanc panis in manus accepti fuiſſe efficacem: vt fuit omnis alia, quam Euangeliſtæ deſcribunt: quandocunque notant: Chriſtum panem in manus acceptum benedixiſſe: At hæc benedictio panis in manus accepti, non fuit efficax multiplicando panem (qualis fuit Matth. 14. Marc. 6. Luc. 9. Ioan. 6. Et rurſus Matth. 15. & Marci 8.) ergò fuit efficax conuertendo panem in corpus Chriſti, qualis fuit Matth. 26. Marci 14. Lucæ 22. Confirmatur primò: Cùm benedictio panis in manus accepti nouies notata ab Euangeliſtis; fuerit ſemper efficax: cur non & decima vice fuit efficax? quādo Lucas 24. notat: Chriſtū accepiſſe panē & benedixiſſe? Cōfirmatur 2. In his locis in quibus ſolis, & omnibus Euangeliſtę notāt, Chriſtū panē prius accepiſſe

Tertia Nota: Benedixit *panem acceptum in manus.*

NB. Euangeliſtæ decies notarunt Chriſtum panem in manus accepiſſe, & acceptum benedixiſſe, nouem vi-

piſſe, & acceptum benedixiſſe: in his, inquam, omnibus locis (vt docent ſacri Interpretes,) ideò Chriſtus prius panem in manus accepit, & acceptum benedixit, vt oſtenderet: ſe non tam poteſtate Patris, quàm etiam virtute ſua propria efficere illud mirandum, ſiue multiplicationis, ſiue conuerſionis panis in corpus ſuum; ergò idem etiam ſignificauit Chriſtus Lucæ 24. Quando panem in manus ſuas accepit, & benedixit, licet verbis non expreſſerit: quid in hoc pane in manus ſuas accepto, benedictione ſua efficaci effecerit; dicendo ſcilicet: ſe illum in corpus ſuum conuertiſſe: quia nimirum tunc ex verbis ſuis id non voluit agnoſci; ſed tantum ipſo effectu Panis, dum hic aperuit diſcipulorum oculos, v. 31. vt Dominum agnoſcerent, quos verba Chriſti non aperuerunt, vnde etiam non vi verborum, ſed vi panis fracti diſcipuli dicuntur illum cognouiſſe, v. 35. Quartò, addit Euangeliſta: quod Chriſtus panem hunc *fregerit*: quæ eſt tam propria huius Myſterij Nota, vt D. Paulus 1. Cor. 10. v. 16. dicat: *Panem quem frangimus nonne participatio Corporis Domini eſt?* Quintò, adiungit quòd panem illum *porrexerit*. at in communi cœna, ille, qui inuitat; non qui inuitatur, ſolet diſtribuere ac porrigere. Chriſtus autem fuerat hoſpes inuitatus.

cibus benedictio notata fuit efficax, vel multiplicãdo panem; vel conuertendo illum in Corpus Chriſti. Cur ergò & decimo notata non fuit efficax: Luca 24. at hic non fuit efficax multiplicando, ergo conuertendo, ſicut in vltima cœna.

Quarta Nota, Fregit.

Quinta Porrexit.

Dices: Matth. 14. Marci 6. Lucæ 9. Ioan. 6. & Matth. 15. Marci 8. habetur eadem forma verborũ: & tamen ibi Panis à Chriſto datus nõ fuit Euchariſtia. Reſpondeo 1. his omnibus locis panem fuiſſe miraculosè multiplicatum: at Lucæ 24. non fuit miraculosè multiplicatus: ergò fuit ſacramentaliter conuerſus: (ſicut Matt. 26. Marci. 14. & Luc. 22.) aut tantùm Lucæ 24. in pane accepto, benedicto, fracto, & dato, nihil

NB. Chriſtum antequam hoc Sacramentum abſconditũ inſtitueret, prius bis illud adũbrauit, Primò *Matth.* 14. *Marci* 6. *Lucæ* 9. *Iohan.* 6. Secũdò. *Mat.* 15. *& Marci* 8. *Deinde bis illud exhibuit.* Primò *in Cœna, Matth.* 24. *Marci* 14. *& Lucæ* 22. Secundò, *in Emaus, Lucæ* 24.

nihil eſt effectum: at quorſum tunc omnes illæ ceremoniæ ſunt adhibitæ? & quorſum Euangeliſta, decima vice notat illas tunc omnes adhibitas? Reſpondeo 2. Chriſtum, antequam inſtitueret ſacramenta, prius illa adumbraſſe: vt paulatim animos diſcipulorum diſponeret, ad illa poſtea à ſe inſtituenda. Sic enim cum impoſuit manus pueris, adumbrauit Sacramentum Confirmationis inſtituendum in cœna: ſic ergò etiam inſtituturus hoc ſacramentum prorſus abſconditum, & excedens omnem intellectum hominum (cuius cùm primùm mentionem fecit Chriſtus Ioan. 6. facta fuit in Iudæis & Diſcipulis magna perturbatio) prius voluit illud bis miraculoſa actione circa panẽ ad ſenſum facta adumbrare, peragens illam eodem ritu, quo poſtea ſacramentum ipſum inſtituit; ſcilicet acceptione panis in manus, benedictione, & fractione, & diſtributione. At quando nunquam habetur, quod poſt inſtitutionem ſacramenti, Chriſtus, vel Apoſtoli exercuerint actionem, quoad omnia ſimilem ritui ſacramentali; quæ tamen actio non fuerit ſacramentalis, ſed tantũ adumbratio?

Confirmatur. iſta actio, ſcilicet fractio panis, poſt inſtitutum ſacramentum, adeò eſt Euchariſtica actio, vt S. Paulus, ſicut diximus, definiat Euchariſtiam eſſe *Fractionem panis*; Et in Actibus Apoſtolorum Euchariſtia non aliter, quàm *Fractio Panis* appellatur, vt ex ſequenti capite patebit.

NB. Præter mortem & reſurrectio-

Quod ergò Chriſtus, antequam hoc ſacramentum inſtituiſſet, bis adumbrauerat: id deinde bis exhibuit: ſemel in cœna, & ſemel in Emaus. Exhibuit autem illud eodem ritu actionis, quo panes illos miraculosè ad ſenſum multipli-

tiplicauerat, (quem ritum omnes Euangeliſtæ decies deſcripſerunt; ſimile quid in nulla alia actione miraculoſa ab Euangeliſtis factitatum reperies,) vt intelligeretur circa panem in cœna, & in Emaus à Chriſto in manus acceptum, benedictum, fractum, & datum; aliquid æquè, imò etiam magis admirabile factum (cùm illa prior ſenſibus expoſita miraculoſa actio, ad ſacramentalem poſteriorem, vt diſpoſitio fuerit præmiſſa: vt nimirum fidem huic conciliaret, quod ſcilicet Chriſtus rē in ſuas manus accipiēdo, & benedicēdo, poſsit ex illa facere quod vellet.) Et ideò Chriſtus Ioan. 6. ex panis multiplicatione ſtatim accepit occaſionem proponendi, & vrgendi; abſconditum hoc ſacramentum à ſe in vltima cœna inſtituendum; At quid in Emaus in pane illo accepto in manus, & benedicto, fractoq; ſupra naturam eſt effectum? ſi is nec multiplicatus fuit, nec Euchariſticè immutatus?

nem Chriſti apud omnes quatuor Euangeliſtas, vix, aut ne vix quidem vlla alia ipſius actio reperitur toties notata ac quod poſt accubitum, acceperit panem in manu, benedixerit, fregerit, dederit; nulla (inquam) alia actio toties eſt notata tanquam ſcilicet ſummè myſterioſa.

Probatur iam 2. quod Panis ille in Emaus à Chriſto diſcipulis datus, verè Euchariſticus fuerit. Quomodo enim alioqui habuit panis ille maiorem vim, quàm verba Chriſti; propter quæ ardebat quidem cor Diſcipulorum in via: ſed tamen ex iis non cognouerunt Chriſtum: cognouerunt autem ſtatim in *fractione Panis.*

SEXTA NOTA. Et aperti ſunt oculi eorum & cognoueſunt eum. *Ex hac Nota SS. PP. in principio huius capitis citati, colligunt: proprium eſſe effectum Euchariſtiæ quod aperiat*

Dices fortè cum Caluiniſtis; Chriſtum habuiſſe proprium, ſingularem, vſurpatumque modum frangendi Panem, ex quo Diſcipuli eundē cognouerint? ſed contra 1. vnde deducūt hunc ſingularem modum Aduerſarij? Scripturæ namque nullo in loco notant, quod Chriſtus inter comedendum, panem fregerit· niſi tunc, quando frangendo, illum miraculosè multiplicauit:

oculos; vt agnoſcant Chriſtum.

cauit: vel quando per illum in cœna poſtrema, corpus ſuum exhibuit. 2. Fuitne Chriſtus, mimus aliquis vel circulator, qui ſuos Diſcipulos ſingularem modum frangendi panem docuerit? quod genus artis illi poſtea ex inſtitutione ſui Magiſtri exercuerint: quando tam frequenter, (*Erant enim perſeuerantes in fractione Panis.* Act. 2. *c.*)& quidem in grauiſsimis occaſionibus, panem fregiſſe dicuntur, (nam poſtquam Paulus, Act. 20. excitarat mortuum, ſtatim fregit panem. Et Act. 27. ereptus ex naufragio, ſtatim fregit panem. Tertiò, illud Euangeliſtæ: *Et ſtatim aperti ſunt oculi eorum: & cognouerunt eum*: multò plus ſignificat, quàm tantùm naturali modo Diſcipulos deprehendiſſe Peregrinum illum eſſe Chriſtum: quod ſeruaret modum frangendi panem ſibi conſuetum. Et nonne impedimentum illud, quo *oculi ipſorum*, vt ait Euangeliſta, *tenebãtur*, fuit ſupernaturale? at, quomodo impedimentum ſupernaturale potuit amoueri ſolo modo naturali? vt ſcilicet viderent Chriſtum frangentem panem more ſibi recepto? Confirmatur: Quia aliàs: quotieſcunque alicuius oculi prius impediti, deinde aperti legũtur: ſic Num. 22. v. 31. habetur à Domino *apertos eſſe oculos Balaã*, cui c. 24. v. 15. dicũtur prius fuiſſe *obturati*. Et 4. Reg. 6. v. 17. Dominus dicitur aperuiſſe *oculos pueri, vt videret equos & currus igneos*, quos ante non videbat. Et v. 20. *aperti* leguntur *oculi Syrorum, vt viderent ſe eſſe in medio Samariæ*; in quã ingreſsi fuerant, eam non videntes. In his ergo & alijs ſimilibus, nonne ſemper & oculorum impedimentum, quo minùs viderent; & ablatio impedimenti ſupra naturam fuit? Ergone hic ſolum impedimentum naturale fuit, quando Diſci-

Diſcipulorum oculi tenebantur, ne Chriſtum, quem aliàs cognouerant, modo cognoſcerent? Aut hic ſolùm hoc impedimentum ſupernaturale, naturali modo eſt ſublatum? quòd ſcilicet Diſcipuli ex modo frequentato frangendi panem, naturali quadam coniectura deprehenderint: eum, qui frangebat panem, eſſe CHRISTVM.

CAPVT III.

Demonſtratur; in Actibus Apoſtolorum nunquam reperiri, datum hoc Sacramentum, niſi ſub ſpecie Panis ſola.

QVOTIESCVNQVE in Actibus Apoſtolicis fit mentio participationis Euchariſtiæ; nunquam fit mentio, niſi ſpeciei ſolius *panis*: ſub qua primi illi fideles communicarint. Nam in primis Act. 2. v. 42. ita ſcribitur de Fidelibus illius temporis: *Erant autem perſeuerantes in doctrina Apoſtolorum, & communicatione fractionis Panis, & orationibus.* Agi verò hic de Euchariſtica communione conuincit 1. *Fractio*: quam Paulus 1. Cor. 10. v. 16. definit eſſe *participationem Corporis Chriſti*. 2. ſi panis ille fuiſſet communis cibus; quàm incongruè inter doctrinæ Apoſtolorum, & orationis ſanctæ perſeuerantiam, in medium conijceretur?. 3. quia potius fuiſſet vituperiũ, quàm laus primorum Fidelium; quod eſſent perſeuerantes in comedendo. 4. textus

Digitized by Google

Syriacus habet: VBAKT SAIA DEV, id eſt in fractione Euchariſtiæ.

Reſpondet ad hæc Kemnitius, concedendo ibi agi de Euchariſtia, ſed per ſynec-dochen, dicit; ibi intelligendum eſſe Calicẽ; quia alioquin Apoſtoli ſub vna ſpecie conſecraſſent; quod nec Catholici admittunt.

Sed rectè inſtat Bellarminus: Lucam ibi non deſcribere, quid Apoſtoli: ſed, quid fecerint primi Chriſtiani, conuerſi operâ Apoſtolorum: dicitque: eos fuiſſe *perſeuerantes in doctrina Apoſtolorum, & communicatione fractionis panis, & oratione*; ſiue iam Apoſtoli etiam, ſub vna tãtum ſpecie, ſiue ſub vtraque conſecrarint; de hoc Lucas nihil habet; ſed de illo tantum, quod populo fractus tantum panis communicaretur.

Secundus locus eſt ibidem v. 46. *Quotidie quoque perdurantes vnaminiter in templo, & frangentes circa domos panem: ſumebant cibũ cũ exultatione, & ſimplicitate cordis.* Hic deſcribitur mos ſumendi Euchariſtiam in primitiua Eccleſia. Soliti enim fuêre primi Chriſtiani (ſicut & infra dicemus) ex templo ſecum domum deferre Euchariſtiam: & ibi eam ante communem cibum ſumere.

Hinc Tertull. lib. 2. ad vxorem (vbi hortatur eam, ne, cùm Chriſtiana ſit, nubat Gentili marito; eò quod non poſsit exercere officia Chriſtianæ religionis, quin maritus Gentilis aduertat) inter cætera ſic ait: *Latebiſne tu, cũ lectulum, cum corpuſculum tuum ſignas? non ſciet maritus; quid ſecretò, ante omnem cibum guſtes? & ſi ſciet, panem non illum credet eſſe, qui dicitur.* Soliti etiam fuerunt primi illi Chriſtiani, quando domi Euchariſtiam ſumebant, ad clariorem memoriam

totius

totius actionis vltimæ Chriſti in cœna, facta cõmunione, adhibere epulum charitatis & pauperum, in memoriam illius ſecundæ cœnæ charitatis CHRISTI, de qua Capite ſequenti verſus finem.

Quia verò participatio Euchariſtiæ, & hoc epulum charitatis ſimul iungebantur; hinc miniſterio menſarum præfecti leguntur Diaconi: qui non debebant eſſe qualeſcunque viri, & ex triuio petiti; ſed *boni teſtimonij*, *& pleni Spiritu Sancto*, vt habetur Act. Cap. 6. & non, niſi oratione præuia communitatis Eccleſiæ, & *manus Apoſtolicæ impoſitione* ad illud munus deligebantur, vt ibidem habetur. Quid verò tantum ad communium menſarum, prandiorum, cœnarum, tantis ritibus adhibitis, miniſtros inſtruere opus fuiſſet: (maximè impoſitione manus Apoſtolicæ, quæ tanti ponderis erat, vt ſimili miniſterio Paulus & Barnabas initiati fuerint ad Apoſtolatum, Act. 13. v. 3.) niſi cum communi menſa, ſacra fuiſſet coniuncta? *Ex Baronio Tom. primo.*

Sacram ergo menſam, ſeu Euchariſtiæ participationem ſubſequebatur menſa communis: & hæc quia fiebat in memoriam vltimæ cœnæ CHRISTI; ideo cœna Dominica à Paulo vocatur 1. Cor. 11. v. 20. vbi ſic Paulus loquitur: *Conuenientibus vobis in vnum, iam non eſt Dominicam cœnam manducare.* & v. 21. *alius enim eſurit, alius ebrius eſt.*

Neque verò eſt vllo modo probabile: per cœnam Dominicam intelligi hic à Paulo ipſam Euchariſtiam; quam in tanta copia Chriſtiani ſumerent; vt ex illa inebriarentur. Intelligit ergo Paulus, per cœnam Dominicam Epulum illud cõmune, quod Græci ἀγάπαις appellabãt,

 id eſt

id eſt Epulum charitatis, quodque ſequebatur Euchariſticam fractionem,& participationem. Hoc epulum Charitatis,ſeu cibum communem (de quo Tertullianus ſupra) qui domi, ſumptionem ſequebatur Euchariſticam. Lucas vocat cibum: quando dicit *Act.2.v.46. Quotidie quoque perdurantes vnanimiter in templo, & frangentes circa domos panem, ſumebant cibum cum exultatione, & ſimplicitate cordis, collaudantes Deum, & habentes gratiam ad omnem plebem.*

Quare non eſt, quod aliqui interpretes hic quærant: An Lucas de Euchariſtia, vel de communi cibo loquatur: quaſi verò non de vtroque loquatur; illam fractionem panis, hunc verò cibum appellans: quem, fracto pane, cum exultatione ſumebant; vtique non carnali: quæ non merebatur, vt ab Euangeliſta mentio de ea fieret; ſed ſpirituali, cuius exultationis origo fuit *Fractio panis* myſterioſa, cibum communem præcedens quæ quidem, niſi Sacra fuiſſet, incongruè à B. Luca coniuncta cum illo fuiſſet. *Erant quotidie perdurantes in templo.* Quid enim hæc habere poſſunt congruentiæ? Erant quotidie perdurantes in templo; & domi ſuæ lætè comedentes: ſi iſta actio tota, & ratione panis fracti; & ratione cibi, qui ſequebatur, fuit communis & carnalis?

Confirmatur 1. quia ibidem dicitur; *Apoſtolos fregiſſe panem collaudantes Deum, & habentes gratiam ad omnem plebem.* Sicut ergo, ſupra v. 42. & infra cap. 20. v. 7. ponuntur comites Euchariſtiæ *oratio* & *doctrina*: Sic hoc loco iungitur, *laudantes Deum, & habentes gratiam ad omnem plebem.* q.d. orantes, & docentes, in memoriam ſcilicet longi ſermonis Chriſti in cœna eius vltima,

ma, vt mox in ſequenti textu dicam &c.

Confirmatur 2. quia ex communi omnium opinione, (inquit S. Antoninus, 1. parte hiſt. lib. 6. cap. 2. §. 1. hic per fractionem panis intelligitur Euchariſtia; Et Syriacus textus loco, *frangebant circa domos panem*, habet: *frangebant domi*, ſeu intra domum ſuam benedictum munus, id eſt, Sacram ſynaxim, inquit Boderianus in lexico Syrocaldaico.

Tertius locus eſt *Act.* 20. *v.* 7. *Vna autem Sabbati cum conueniſſemus ad frangendum panem.* Hic rurſus nullum veſtigium calicis. Et tamẽ Caluinus ipſe in hunc locum, & Lutherus de Euchariſtia, & Melancthon de vſu Sacramenti, per *fractionem Panis* Euchariſtiam intelligunt. Textus autem Syriacus habet, cùm conueniſſemus ad *frangendam Euchariſtiam.*

Atque de Euchariſtia ibi agi, colligunt Doctores Catholici ex circumſtantijs. Primò, Tẽporis, ſcilicet diei Dominicæ: quæ vocatur *vna ſabbathi*, id eſt, prima dies hebdomadæ: ſicut Marci 16. v. 2. Lucę 24. v. 1. Secundò, ex circumſtantia loci, ſcilicet cænaculi: & conuocationis Fideliũ, Græcè συνηγμένων, quaſi denotetur ſynaxis, id eſt, conuentus ad Eccleſiam. Tertio, ſermonis, vſque ad mediam noctem, de rebus diuinis: quem, exemplo illius longi ſermonis, (de quo capite ſequenti) à Chriſto in poſtrema cœna habiti, ſolebant adiungere ſumptioni Euchariſtiæ.

Quartus locus eſt in eodem *cap.* 20. *v.* 11. *Aſcendens autem Paulus, frangenſque panem, & guſtans, ſatiſque allocutus vſque ad lucem ſic profectus eſt.* Deſcenderat Paulus ex cœnaculo, vt Auditorem quendam, qui ex feneſtra decide-

rat, excitaret à mortuis. Hunc vbi excitauit. (ſicut ſimul ac fuit ereptus ex periculo naufragij & mortis: in gratiarum actionem pro beneficio accepto diuinitus, fregit Panem, Act. 27. v. 35.) pro accepto beneficio ſuſcitati auditoris, fregit panem: quæ fractio, niſi fuiſſet verè Euchariſtica, planè non eſſet ratio, ob quam illam D. Lucas, tanquam aliquid ſingulariter reſpondens beneficio per miraculum præſtito, ſtatim ſubnecteret. Sicut autem ſupra oſtendimus; fractioni panis ſucceſsiſſe cibum communem, & doctrinam: ita etiam in hoc textu *Fractioni panis* ſucceſsit multa allocutio, (vt textus habet) ſeu doctrina; & præterea guſtatio, id eſt, exigua refectio, quàm Paulus fecit aggreſſurus iter; quod, cũ illuceſcere cœpit, aggreſſus eſt. Sumitur igitur vox illa, *guſtatio*, hic, ſicut cap. 16. v. 10. Vbi dicitur de Petro, quod cùm eſuriret, *guſtare* voluerit; Græcè γεύσασθαι, id eſt, parcè comedere, ſeu refectiunculam ſumere. Vide Lipſium lib. 3. Antiq. lect. Et Roa. de die Natali, Cap. 14.

Fruſtra autem obijciunt quidam; fractionem illam panis non fuiſſe Euchariſticam; quod ante lucem ſacrificare non liceat. Cùm enim aggreſſuro iter, iam tempus fuerit ſumendi refectiunculam: non potuit tantùm temporis eſſe ante lucem; vt Apoſtolo facturo iter, ſacrificare non licuerit. Adde: non fuiſſe neceſſarium, vt tunc Paulus conſecraret Panem; potuit enim iam aliàs conſecraſſe; Panemque Euchariſticum (ſicut etiam Chriſtianos feciſſe docebimus) ſecum detuliſſe; eumque illo tempore ante lucem, ac ientaculum ſumpſiſſe.

Vltima authoritas eſt Act. 27. v. 35. *Et cum*

Digitized by Google

hæc dixiſſet, ſcilicet Paulus, *ſumens panem, gratias egit* (Græcè ἐυχαρίστησε) *Deo in conſpectu omniũ; & cũ fregiſſet, cæpit mãducare.* Hic, ſicut apud Lucã in Euangelio cap. 22. & 24. rurſum vides totũ ritum panis Euchariſtici, (quem, vt textus docet, ſumptio communis cibi ſubſecuta eſt; nam, cùm fregiſſet, cæpit manducare) ſumere panem, gratias agere, ſeu ἐυχαριστizare, & frãgere. A qua actione, tanquam diuina; Paulus ex præſentiſsimo periculo, ereptus, ordini voluit cum comitibus Chriſtianis, (quibus, inquit Author imperfecti operis homil. 17. in Matth. de manu ſua Euchariſtiam porrexit, quemadmodum Chriſtus Cleophæ, & ſocio eius) idque fecit, ait ſacer textus, in conſpectu omnium, id eſt, etiam infidelium præſentium: vereri enim non poterat, vt ab ijs rideretur: quia terrore periculi ſubmerſionis, quod illis Paulus prædixerat, & à quo ſe Pauli ſanctitate ereptos videbant? planè conſternati, Paulo fidem habere cæperunt; ad quam, vt eos magis prouocaret Paulus, actionem illam maximè myſterioſam Chriſtianæ Fidei in conſpectu omnium exhibuit.

In hac verò tota actione, ſicut & in illa in Emaus, nullum prorſus ſignum Calicis apparet: nec calix in ea locum habere potuit, quia inſtituta fuit in naui, vbi propter periculum effuſionis, ex conſtanti traditione, nunquam Calicis vſus fuit; licet nonnunquam panis Euchariſticus eò illatus fuerit. Ex Ioanne Diacono lib. 5. vitæ S. Gregorij, & Ambroſio, Oratione de S. Satyro. &c.

Itaque ſi ſoli vſui omnino primitiuæ Eccleſiæ ſtare velis; cùm in Actibus Apoſtolorum nulla fiat mentio Calicis, ſed ſemper ſolius *par-*

 ticipa-

ticipationis Panis, potius in hac ſola, quam in vtraque erit communicandum.

Neque valet quidquam fingere ſynecdochas; & dicere: cùm *Fractione panis* intelligi debere cõmunionem Calicis, 1. quia eſt valde putidum: circa vſum huius Sacramenti Iudicio Eccleſiæ nolle ſtare; ſed perpetuò ſolas crepare Scriptura: ex quibus ve[illegible] omnino conſtare: cùm ſpecie panis, ſemper eſſe coniunctum Calicem: cùm tamen, quando ſcripturis diſceptatur; & in illis toties mentio ſolius *communicationis panis*, ſine vlla mentione *Calicis* ad oculum oſtenditur, ad perpetuas ſynecdochas confugias, quibus nunquam propriè, ſed ſemper figuratè Spiritus Sanctus ſit locutus, nomine *Fractionis Panis* intelligens etiam *Calicem*. 2. Si participatio *Calicis* cum participatione *Panis* ſemper fuit connexa; cur, ne ſemel quidem mentio ipſius, in calamum Lucæ, de hoc Sacramento in Actibus Apoſtolorũ quinquies ſcribentis, incidit? maximè, ſi cordi Lucæ fuit, vt intelligeretur; ſpeciem panis numquam accipi debere ſine Calice? 3. ſi eſt, & ſemper fuit par, & æquè principalis vſus Sacramentalis tam *Calicis* quam *panis*: cur hic vſus, non ęquè abſolutè, vel ſemel ſaltem, vocatur ſumptio Calicis; vbi per ſynecdochen intelligatur etiam panis Euchariſticus; ſicut continuè vocatur à D. Luca abſolutè *Fractio panis*? Cur v. g. Sicut dicitur; Erant perſeuerantes in oratione, & communicatione *fractionis panis*, nõ eſt dictum; Erant perſeuerantes in oratione, & communicatione calicis Domini? aut quando dicitur; *Cùm conueniſſemus ad frangendum panem*; cur non potiùs; Cum conueniſſemus ad ſumendum *Calicem Domini*? Debetne perpetuo ſola *Fractio panis* habere hoc priuilegi-

priuilegium, vt, quando deſcribitur abſolutus vſus huius Sacramenti, ipſa ſola exprimatur: Calix vero nunquam ſolus: licet ipſe æquè principaliter, & æquè communiter ſemper fuerit adhibitus, ac fractio Panis?

Adde; Chriſtum in Emaus, poſt fractionem Panis, continuò euaneſcentem, & Paulum in naui frangentem Panem; calicis exhibiti & ſumpti intellectionem prorſus non admittere.

NB. Si in Emaus fuit etiã potus Calicis: cur agnouerunt eum in fractione panis? & non potius in potu Calicis?

Demum: nullo ſigno vllius textus adducti, ſed ex ſolo errore, qui mentem præoccupauit: (quod vtraque ſpecies ſemper debeat eſſe coniuncta) tu calicis adminiſtrationem vbique intelligis: cùm alias perpetuò, *Fractione panis*; ſolam Fractionem, non ſimul circa Calicem, aut potum à Chriſto aliquid actum intelligas. Nam quando Matth. 14. Marci 6. Luc. 9. Ioan. 6. ad conciliandam ſibi fidem Chriſtus, pro inſtituenda Euchariſtia fregit panem, & frangendo multiplicauit, intelligiſne tu per ſynecdochen, fractione panis etiam circa potum aliquid à Chriſto factum? ſomnia queſo: per ſynecdochẽ, tunc Chriſtum etiam aquam in vinum conuertiſſe; vt ſic habeas: Chriſtum ſignificaſſe, fractionem panis debere ſimul habere comitem actionem Sacramentalem circa potum. Sed totum contrarium reperitur: ſcilicet Chriſtum ſeiunxiſſe actionem miraculoſam circa panem, ab actione miraculoſa circa vinum: ſicut & ſeorſim ſpecies Sacramentales inſtituit.

NB. Quam aptè adumbratio reſpondeat rei, ſicut enim Chriſtus actionẽ miraculoſam circa panem, ab actione miraculoſa circa vinum

Demum Matth. 26. Marci 14. Luc. 22. 1. Cor. 11. Chriſtus dicitur fregiſſe panem, deinde calicem dediſſe. intelligiſne: per fractionem Panis aliquid aliud præter fractionem? Quomodo ergò citatis omnibus locis, in quibus de

(quibus ſpecies Sacramentales inſtituendas adũbrauit). ſeiunxit: ſic & ſeorſim ſpecies ipſos Sacramentales inſtituit. vt Capite ſequenti patebit.

fractione eſt ſermo, nihil niſi *fractionem* intelligis? in illis autem ſolis, in quibus mentem habes præoccupatam errore, nulla anſa ex textu data, in *Fractione panis*, etiam *Calicis* adminiſtrationem perpetuò comprehendis. Cùm, præterquã quòd ipſe textus illam continuè omittat: grauiſsima etiam ſit coniectura: illam in primordio Eccleſiæ communiter fuiſſe omiſſam apud Iudæos; quo ſcilicet Apoſtoli, ſicut & aliis in rebus, ita hic acommodarent ſe conuerſis à Iudaiſmo, ob legis & gentis conſuetudinem: (hinc enim & Paulus ſocium ſuum Timotheum circumcidit) quæ prorſus abhorrebat à ſanguine & vino in ſacrificiis; quæ gentiles in ſuis ſacrificiis adhibere ſolebant, qui mos idcirco apud Corinthios, tanquam prius gentiles, à Paulo ſeruari potuit.

Dices? At, quid reſpondent Catholici Doctores nonnulli ad iſta omnia teſtimonia ex Actibus Apoſtolorum petita, in quibus de *Fractione panis* ſola, continua fit mentio? Ergóne ſub vna vbique ſpecie ſacrificatum? Reſpondetur, Doctores illi Catholici, qui volunt: nullo modo licere, conſecrare ſub vna tantum ſpecie, (quorum tamen ſententia nobis non probatur) reſpondere debent: in nullo horum locorum agi de Conſecratione, ſed ſolùm de participatione *fracti panis*. Quare licet his locis manifeſtum ſit, agi de participatione huius Sacramenti ſub vna ſpecie (hoc enim in textu expreſsè habetur) non inde tamen manifeſtum eſt: licere, conſecrare ſub vna ſpecie: quia hæc in textu non exprimitur.

Vnde ad textum ex Luc. 24. adductum poteſt dici: Chriſtum non fuiſſe alligatum formæ Conſecrationis; & propterea potuiſſe, hoc Sacra-

mentum

Digitized by Google

mentum ſub vna ſpecie videlicet *Panis* à Chriſto exhiberi,(quod contextus clarè habet) etiamſi nullam conſecrationem adhibuerit; quia verba conſecrationis in textu non exprimuntur.

Similiter ad loca ex Actibus Apoſtolicis deprompta dici poteſt, ibi tantum agi de participatione Sacramenti iam confecti (hæc enim in textu omninò exprimitur) non verò de ipſa conſecratione (quia hæc non ita exprimitur) potuit verò Sacramentum, alibi ab Apoſtolis ſub vtraque ſpecie factum, ſub ſpecie panis ſola ad nauim vel domum perferri: ibique in vſum venire, vt alias factitatū nouimus. Scimus enim ex Tertull. lib. 2. ad vxorem, Baſilio in epiſt. ad Cęſariam Patritiam, Clemente Alexandræ lib. 1. ſtromatum, Cypriano ſerm. de lapſis & alijs; morem Eccleſiæ antiquæ fuiſſe, vt Sacramentū Euchariſtiæ ſub vtraque ſpecie confectum in templo, ſub vna ſpecie ad nauim, vel domum, vel Eremum, vt faciebant Eremitæ, deferretur: vt ſuo tempore deinde ſumerent; tametſi ad templum per integrum annum non redirent.

NB. Licet textus conuincat participationem ſub vna, non tamen conuincit Conſecrationem ſub vna, quia de participatione tantum, non de conſecratione, clarè loquitur.

Et hoc vel ipſe Kemnitius concedit, at dicit; ſe non diſputare, quid domi, ſed, quid publice fieri debeat. Sed S. Hieronymus ad Pamachium in libris ſuis ſcriptis contra Iouinianum ſic habet: An alius in publico, alius in domo Chriſtus eſt? quod in Eccleſia non licet, nec domi licet: & ſi vſus vnius ſpeciei eſt contra Præceptum Chriſti; illicitus erit, ſiue fiat domi, ſiue in Eccleſia. Vide Bellarm. de Euchariſtia lib. 4. cap. 24. Vbi etiam ex varia antiquiſsima conſuetudine deferendi Euchariſtiam ſub vna ſpecie domum, & conſeruandi, etiam ſub vna ſpecie tantum in templo, quatenus pro infirmis & peregrinis præſto eſ-

Digitized by Google

ſto eſſet in neceſsitate, & ex alijs ritibus à principio in Eccleſia vſurpatis, conuincit: ſemper fuiſſe in Eccleſia aliquem vſum vnius ſpeciei.

CAPVT IV.

Oſtenditur ex modo Inſtitutionis, vi illius, non eſſe neceſſariam vtriuſque ſpeciei coniunctionem, cum Chriſtus vnius ſpeciei Inſtitutionem ab alterius Inſtitutione ſeiunxerit; &, cùm Calix ſit inſtitutus, poſtquam cœnatum fuit: ipſe vi Inſtitutionis, ad ſubſtantiam Cœnæ, non eſt neceſſarius.

SI panis & vini ſpecies ita ſunt inſtitutæ, vt vi nſtitutionis nullo modo debeant ſeparari: cur Chriſtus vnius ſpeciei inſtitutionem ab alterius inſtitutione ſeiunxit? Licet enim Matthæus, & Marcus, vnius ſpeciei Inſtitutionem narrent, ſtatim poſt inſtitutionem alterius: interuallum tamen interceptum, quod Matthæus & Marcus non expreſſerunt: expreſſerunt Lucas & Paulus. Matthæus enim & Marcus ita ſcribũt: *Cœnantibus illis*, id eſt, inter comedendum, ſeu cœna cœpta, ſeu initio cœnæ, Chriſtus inſtituit ſpeciem panis; calicem verò inſtituit poſtquam iam cœnatum erat, ſic enim expreſsiſsimè habent Lucas, & Paulus: *ſimiliter & calicem, poſtquam cœnauit, dicens ſecundo.*

NB. Frequens eſt apud Euãgeliſtas, vt quod vnus omiſit, alter exprimat.

Sic-

Sicq; prorſus nulla eſt contradictio inter Euãgeliſtas: tametſi Matthæus & Marcus dicant, ***cœnantibus illis***, Lucas verò & Paulus: ***Poſtquam cœnauit***, de ſolo calice proferunt: Matthæus verò & Marcus verba, ***Cœnantibus illis***, præfigunt inſtitutioni Corporis Chriſti: Poſt quam, narrant, Calicis inſtitutionem, non exprimendo interuallum, quod poſt inſtitutionem Corporis Chriſti inter cænandum, ſeu initio cœnæ factam vſque ad inſtitutionem Calicis, qui menſa abſoluta inſtitutus eſt, intercesſit, at interuallum interceptum, quod Matthæus & Marcus non expreſſerunt, expreſſerunt Lucas & Paulus.

NB. Si Chriſtus vtramque ſpeciem inſtituit: cœnantibus illis: tunc falſum erit illud Lucæ & Pauli: Poſtquam iã Cœnatum fuit: ſi vero vtramq; ſpeciem inſtituit. Poſtquam iam Cœnatum fuit, tunc falſum erit illud Matt. & Marci: Cœnantibus illis. Itaque ſpeciem panis inſtituit: Cœnãtibus: Calicem vero poſtquam iam Cœnatum fuit; ſicque inter Euangeliſtas nulla eſt cõtradictio

Confirmatur. Quia ipſemet Lucas dicit: Chriſtum, vbi diſcubuit, & duodecim Apoſtoli cum eo, dediſſe eiſdem Apoſtolis corpus ſuum dicendo: ***Hoc eſt corpus meum***: calicem verò, poſtquam cænauit: ***Hic eſt Calix meus.***

Conuenit ergò expreſsè Lucas cum Matthæo & Marco in eo, quod nullus eorum dicat ſpeciem panis inſtitutam fuiſſe. Poſtquam cœnatum erat; ſed omnes dicunt. Poſtquam diſcubuerunt, ſeu cœnantibus illis fuiſſe inſtitutam; licet Calix inſtitutus fuerit, poſtquam iam cœnatum erat.

Cùm ergo Chriſtus inter cænandum, ſeu in principio cœnæ, vtramque ſpeciem ſimul non inſtituerit; nec vtramque ſimul inſtituerit, poſtquam cœnatum fuit; ſed vnius ſpeciei inſtitutionem ab alia ſeiunxerit: certè ex hoc modo inſtituendi vna ſpecies non eſt abſolutè neceſſario coniuncta cum alia, ſicut hauſtus, qui poſt abſolutam menſam fieri ſolet: non eſt abſolute neceſſarius ad prandium vel cœnam.

NB. Vſus Calicis ex vi Inſtitutionis non eſt æquè

Quod

principalis, ac vſus ſpeciei panis; quia Calix eſt inſtitutus per modum hauſtus, qui fit abſoluta Cœna; ſpecies verò panis, Cœnãtibus illis *eſt inſtituta. Atq; Calix vi inſtitutionis ad ſubſtantiam cœna non pertinet, Cũ ſit inſtitutus poſtquã cœnatum fuit.*

Quod ad D. Lucam attinet, obſerua. Quòd ſicut D. Paulus 1. Cor. 10. facit mentionem Calicis ante panem conſecratum, dicens; *Calix cui benedicimus, nonne communicatio Sanguinis Domini eſt? & panis quem frangimus &c.* Et tamen nec Paulus, nec vllus Euangeliſtarum indicare voluit: Chriſtum inſtituiſſe Calicem ante panem conſecratum: cùm Paulus expreſsè dicat: Calicem inſtitutum eſſe, poſtquam cœna eſt peracta: Ita etiam Lucas, licet expreſsè moneat: Calicem eſſe inſtitutum, poſt inſtitutionem panis Sacri (imò poſtquam iam cœnatum erat, cùm panis iam inter cœnandum fuerit conſecratus) tamen etiam ante inſtitutionem panis Sacri, facit Calicis mentionem: non ideò, quia, tunc fuerit inſtitutus, (ſic enim Lucas & cum omnibus Euangeliſtis, & ſecum ipſe pugnaret) ſed præoccupauit ſermonem de calice tunc nondum inſtituto: vt proteſtationem *non bibendi amplius cum diſcipulis*, coniungeret cum proteſtatione, non manducandi: cuius tunc meminerat.

Notandum ergò: omnes tres Euãgeliſtas ſcribere quinque, attinentia ad Calicem, 1. acceptionem in manus, 2. gratiarum actionem, 3. veri Sanguinis aſſertionem, 4. diſtributionem, 5. Proteſtationem non bibendi amplius. Lucas ſolummodo tertium, quod eſt maximum, nempè Sanguinis aſſertionem, ſuo ordine refert, dicens: eſſe factum *poſtquam Cœnatum fuit*: reliqua verò quatuor omittit, vtpotè à ſe prius per anticipationem de Calice dicta; licèt reuera etiam ipſa poſt conſecrationem panis, & cœna facta, atque abſoluta, fuerint exhibita. Quomodo enim prius Chriſtus accepiſſet in manus calicem, benedixiſſet eum, dediſſetque bibendum; & tũ pri-

primò accepiſſet panem, fregiſſet, dediſſetque; ac tandem dixiſſet: *Hic eſt Calix*, quem iam Apoſtoli bibiſſent; & Chriſtus illum ampliùs in manibus non habuiſſet? Hæc enim omnia quatuor Lucas ante conſecrationem panis ponit: &, cõſecrato iam pane, prætermittit, tanquam iam à ſe dicta de eodem Calice, de quo poſt conſecrationem Panis agit.

Vnde falſa eſt ſententia eorum, qui dicunt: Lucam duplicem Calicem ponere; vnum vſualem; quem ſcilicet Chriſtus ante inſtitutionem Sacri Panis dederit; alterum Sacramentalem; quem poſtea inſtituerit, dicens: *Hic eſt Calix Sanguinis mei*; hæc inquam ſententia eſt falſa. Ideò enim Lucas, poſt conſecrationem panis repetẽs calicem, omnia tria illa (quod ſcilicet Chriſtus ipſum in manus acceperit, benedixerit, diſtribuendum dederit) prætermiſit; quia de eodem calice loquens, iam priùs ea retulerat.

Confirmatur: quia calicem in manus accipere, benedicere, diſtribuendum dare, ſunt Notæ adhibitæ à Matthæo, & Marco, ad deſcribendum calicem Euchariſticum. Cùm ergo Lucas has notas omnes Calici, de quo ante conſecrationem panis loquitur, tribuerit; Calix ille procul dubio fuit Euchariſticus. Et, ſi ſolus ille calix, de quo poſt conſecrationem panis loquitur, fuit Euchariſticus: ſemper manet inconcuſſum fundamentum, ſcilicet Calicem Euchariſticum (quem nimirum Chriſtus poſt cœnam aſſeruit continere ſuum Sanguinem) fuiſſe inſtitutum, poſtquam cœnatum fuit; cum panis Sacramentalis fuerit inſtitutus cœnantibus, ſeu poſtquam diſcubuerunt.

Itaque textus Euangelicus, maioris claritatis gratia,

gratia, ſic eſt legendus. *Diſcubuit, & duodecim Apoſtoli cum eo, & ait illis: Deſiderio deſideraui hoc paſcha manducare vobiſcum, (dico enim vobis, quia ex hoc non manducabo illud, donec impleatur in Regno Dei. Et accepto Calice, gratias egit, & dixit; Accipite, & diuidite inter vos. Dico enim vobis, quod non bibam de generatione vitis, donec regnum Dei veniat). Et accepto pane, gratias egit, & fregit, & dedit ěis, dicens:* HOC EST CORPVS MEVM, *quod pro vobis datur: hoc facite in meam commemorationem. Similiter & Calicem, poſtquam cœnauit, dicens: Hic eſt Calix nouum teſtamentum in Sanguine meo, qui pro vobis fundetur.* Omnia ergo illa verba Chriſti, quibus ipſe proteſtatus eſt: hoc eſſe ſuum vltimum Paſcha in hac vita, ſunt claudenda parentheſi, in qua Euangeliſta fecit calicis mentionem, occaſione illius proteſtationis, qua dixit Chriſtus: ſe non amplius manducaturum paſcha, nec bibiturum de generatione vitis, donec regnum Dei veniret. Poſtquam proteſtationem parentheſi clauſam, ſequitur textus. *Et, accepto pane.* &c. ita vt, omiſſa tota parentheſi verborum proteſtationis: ſic textus continuet actionem accubitus Chriſti, cum actione Inſtitutionis Sacramēti; *Diſcubuit, & duodecim cū eo: &, accepto pane, gratias egit, & fregit, & dedit eis dicens:* HOC EST CORPVS MEVM: *quod &c. Similiter & Calicem, poſtquam cœnarunt,* dicens: Hic eſt calix, &c.

Senſus ergo hic eſt; Sicut poſtquam diſcubuit, *accipiens panem dixit, Hoc eſt corpus meum:* ſic etiam poſtquam cœnauit, *accipiens Calicem. ſimiliter*, id eſt, eadem ſeria aſſeueratione, *dixit: Hic eſt Calix, &c.*

Itaque Sacramentalis panis inſtitutus fuit, poſtquam

poſtquam diſcubuerunt, vt ait Lucas, ſeu cœnantibus illis, vt habet Matthæus & Marcus; calix verò, poſtquam cœnatum fuit.

Obijcies, Ioan. 13. legitur. *Chriſtum, cœna facta lauiſſe pedes diſcipulorum*; at poſt lotionem pedum primo inſtituit vtramque ſpeciem; Ergo vtraque ſpecies ſimul eſt inſtituta, *cœnâ factâ*. Reſpondetur: Chriſtum duplicem cœnam celebraſſe; alteram, quâ ſatisfaceret ſynagogæ; alteram quâ ſatisfaceret incenſæ erga homines ſuę charitati. Prima cœna eſu agni, feſtinanter abſumpto, fuit abſoluta; Pro ſecundo accubitu, ſeu ſecundæ cœnæ tanquam longè chariori, & ſolenniori, Chriſtus præmiſit lotionem pedum; quæ cœnis ſolennioribus præmitti ſolebat. Hãc etiam cœnam longè diutiùs, quam priorem, familiariter cum ſuis agendo protraxit: vt patet ex ijs, quæ Euangeliſta in hoc ſecundò accubitu dicta & geſta à Chriſto, narrat. Ex his eſt, quod Chriſtus dixerit: *Vnus qui manducat mecum panem, leuabit contra me calcaneum ſuum: Amen dico vobis: quia vnus ex vobis tradet me*: & *Aſpiciebant ergo ad inuicem diſcipuli haſitantes, de quo diceret: Erat autem ex diſcipulis vnus recumbens* (attende benè ad ea, quæ in ſecundo accubitu geſta ſunt: an tantum Sacramentum inſtitutum?) *in ſinu Ieſu, quem diligebat Ieſus: & cùm ille recubuiſſet ſupra pectus Ieſu, dicit ei; Domine, quis eſt? Reſpondit Ieſus: ille eſt, cui ego intinctum panem porrexero. Et cùm intinxiſſet panem* (non igitur tunc ſolum Sacramentum inſtituit) *dedit Iuda Simoni Iſcariotæ; & poſt buccellam, introiuit in eum Sathanas. Et dixit ei Ieſus. Quod facis, fac cito. Hoc autem nemo ſciuit diſcumbentium ad quid diceret ei.*

Hæc ergo & alia, quæ in ſecundo accubitu Euange-

NB. In hoc 2. accubitu Euãgeliſta cap. 13. hæc geſta narrat. Primo narrat Chriſtum tunc explicaſſe myſterium lotionis pedum, à verſu 12. vſque ad verſum 18. Deinde, narrat ipſum tunc detegiſſe proditorem intincto pane in paropſidem & Iohannem recubuiſſe in ſinu Chriſti, à verſu 18. vſque ad 28. Tertiò narrat verſu 38. Chriſtum

Digitized by Google

tunc pluribus egiſſe de futura prolapſione Petri: Demum deſcribit longum ſermonem, quẽ Chriſtus vſque ad finẽ cap. 14. extraxit eò vſque, Surgite eamus hinc.

uangeliſta narrat, eſſe acta, conuincunt: poſt illam primam cœnam, quâ factâ, dicitur Chriſtus ſurrexiſſe, vt lauaret pedes diſcipulorum, ſubſecutam: non ſolùm inſtitutionem Sacramenti; ſed & Cœnam: quæ fuit longè ſolemnior & prolixior priori: in qua fuit detectus proditor, per datum illi à Chriſto ipſo intinctum in parapſide panem, ex Matthæo; ſeu Catino, vt habet Marcus. Paropſis autem ſeu Catinus, neceſſariò iuſculum continere in ſe debuit: quomodo enim intingi panis potuiſſet?

Fuit ergò hic ſecundus accubitus longè prolixior & ſolennior & Chriſto charior priore, quem feſtinanter expediuit.

Atque de hac ſolenni cœna charitatis Chriſti (vt rectè notant Ianſen. & Toletus in Iohan.) loquuntur Euangeliſtæ, cum dicunt: ***cœnantibus illis, Accepit panem &c.*** & ***poſtquam cœnatum erat, Accepit calicem.***

NB. Cœna Dominica, nec eſt eſus Agni, in Euchariſtia. ſed epulum charitatis quod ſequebatur ſumptionem Euchariſtiæ.

Huic etiam cœnæ ſolenni reſpondit ἀγάπαι, ſeu illud Epulum Charitatis: quod olim præter Euchariſtiam dabatur. quod epulum S. Paulus 1. ad Cor. 11. vocat *cœnam Dominicam*; neque enim hæc cœna Dominica fuit eſus Agni Paſchalis; quem Chriſtus potius voluit abolitum; quàm ad ſuos tranſmiſſum: Neque etiam *cœna* illa *Dominica* fuit ſola Euchariſtia: quis enim putet: Chriſtianos in tanta copia ſumpſiſſe Euchariſtiã; vt vnus inde eſuriret, alius fieret ebrius. ſed *cœna Dominica* eſt illud Epulum Charitatis, ſeu vſus communium ciborum, qui, (vt patet ſupra cap. tertio) ex Actibus Apoſtolorum; olim fuit ſolitus ſubſequi ſumptionem panis Euchariſtici, ad imitationem illius ſolennis & protractæ Cœnæ charitatis Chriſti Domini; quę cœna ſubſecuta eſt lotionem pedum, & exhibitionem Panis Euchariſtici.

Digitized by Google

Ad argumentum ergo factum, concedo: vtrãque ſpeciem fuiſſe inſtitutam poſt primam cœnam: (id eſt, poſt eſum agni) fuit enim vtraq; inſtituta in ſecunda cœna ſolemni, ſed vna, nẽpe *Panis*, in principio illius Cœnæ ſecundæ: altera, ſcilicet *vini*, abſoluta cœna ſecunda, ſeu, abſoluto ſecundo accubitu, qui, vt ex textu Euangelico conuincitur; multo fuit protractior priore?

Concluſum ſit ergo, Panem Euchariſticum Apoſtolis cœnantibus; calicem verò, poſtquam cœnatum fuit, eſſe inſtitutum. &c.

CAPVT V.

Quod Calix, vi Inſtitutionis peculiariter, ſpectet ad Sacerdotes. &c.

ADDE iam: ſpeciẽ panis exhibuiſſe Chriſtum Apoſtolis; vt Laicis, nondum conſecratis in Sacerdotes. Exhibuit enim illis vi Sacri textus prius ſpeciem panis, ac tum primum ſubiunxit: *Hoc facite in meam commemorationem*, quibus verbis conſtituit illos Sacerdotes: ex concil. Trid. ſeſſ. 22. cap. 1. dando illis poteſtatem conficiendi hoc Sacramentum. At calicem illis præbuit, poſtquam iam cœnatum fuit; quando iam in initio cœnæ cœptæ; prius conſtituti fuerant Sacerdotes. Ergo inſtitutio calicis, poſt cœnam facta; vi ſuâ ad Sacerdotes inſtitutos peculiariter ſpectat.

NB. Vi Sacri textus Apoſtoli nondũ conſtituti Sacerdotes, ſumpſerunt ſpeciem Panis. Calicem verò ſumpſerunt, poſtquam iam fuerant conſtituti Sacerdotes. Forma argumenti hæc

Confirmatur, ſi *calix*, vi Inſtitutionis, æquè om-

omninò ac ſpecies *Panis* ſpectat ad Laicos: cur CHRISTVS, data ſpecie panis, immediatè fecit illos Sacerdotes; antequam daret illis calicē? Cur non potius, data ſpecie panis, immediatè ſtatim dedit calicem, Apoſtolis adhuc exiſtentibus Laicis? & ſic vtraque ſpecie iam data, tunc illos primò Sacerdotes feciſſet, dicens: *Hoc facite &c.*

Dices fortè: Chriſtum ideò, data ſpecie panis, ſtatim ſubiunxiſſe, *Hoc facite, &c.* antequam nimirum daret calicem Apoſtolis; quòd voluerit: poteſtatem conficiendi & exhibendi Euchariſtici panis, dare ſeorſim, à poteſtate conficiendi exhibendique calicis: vnde, hoc exhibito, rurſum ſeorſim repetijt: *Hoc facite, &c.* ſit ita. Sed, cur ſeorſim poteſtatem conficiendi & exhibendi calicis, à poteſtate conficiendi & exhibendi Panis dedit: ſi vtriuſque confectio & exhibitio neceſſario ſemper debet eſſe ſimul ex vi inſtitutionis, & verborum Sacri textus?

eſt: Apoſtoli ſunt conſtituti Sacerdotes, verbis illis Chriſti. Hoc facite in meā, *&c. ſed hac verba Chriſtus dixit; poſtquā Apoſtoli acceperant ſpeciē Panis, antequam acciperent Calicem. Ergo conſtituti ſunt Sacerdotes poſt ſumptionem panis Euchariſtici, antequam ſumerent Calicem. Nota autem: Sacerdoēm conſtitui ſubſtantialiter, per poteſtatem conſecrandi ſpeciem panis; Conſecratio enim Calicis, ad ſummum eſt tantum de integritate ſacrificij, non de eſſentia; Sicut confeſſio omnium peccatorum mortalium, eſt tantum de integritate Sacramenti Pœnitentiæ, non de eſſentia; ideò aliquando poteſt dari Confeſſio licita & valida, licet non ſit integra; Conſumptio etiam Sacrificij eſt tantum de integritate, non de eſſentia Sacrificij; nec etiam admixtio aquæ in Calice, eſt de illius eſſentia, nec admixtio balſami eſt de eſſentia Confirmationis, vt tertia p. docui.*

CAPVT

CAPVT VI.

Alia ratione declaratur, Calicem ex vi Inſtitutionis, peculiariter ſpectare ad Sacerdotes, &c.

PRæterea Chriſtus Dominus, vi Sacri textus, Apoſtolis ſpeciem panis modo Laicali ſumendum diſtribuit. Calicem verò modo Sacerdotali bibendum propoſuit. Ergò calix ſic datus, peculiariter ſpectat ad Sacerdotes. Antecedens probatur. Dare enim Euchariſtiam modo Laico ſumendam, eſt, illam diſtribuere, ſeu cuilibet comedendam ſiue in manum, ſiue in os porrigere: Dare autem calicem modo Sacerdotali bibendum, eſt, illum bibendum proponere, vt quilibet illum per ſe in manus accipiat, & ex illo bibat, (neque enim in Eccleſia fuit vnquam vſus, vt laici calicem in manus proprias acciperent & ex illo biberent; ſed Diaconus Sanguinem ex calice bibendum cuilibet præbuit, vt conuincit Cyrill. catech. 5. Myſtagogica in fine) at ſic actum: Chriſtus enim ipſe, vt habent Euangeliſtæ, panem fregit, & dedit, ſeu diuiſit, ſeu diſtribuit illis (ſeu porrexit, vt habet Lucas cap. 24. eandem actionem circa panem repetens, quam cap. 22. deſcripſerat) vnde non opus habuit dicere, comedite ex hoc omnes: (ſicut nec opus habuit dicere duobus diſcipulis in Emaus: comedite vterque) quia ſcilicet ipſemet ſuam particulam cuilibet porrexit. Calicem verò

NB. Apoſtoli biberunt Calicem modo Sacerdotali. Chriſtus enim illis Calicem bibendum propoſuit: vt quilibet illum per ſe in manus acciperet, & ex illo biberet, at ſumere Calicem in proprias manus & ex illo bibere, eſt, illũ bibere modo Sacerdotali. Argumenti forma hæc eſt: ſumere Calicem in propriam manum, & ex illo bibere, eſt bibere Calicem

modo Sacerdotali Apoſtoli ſumpſerunt Calicem in propriam manum, & ex illo biberũt. Ergo biberũt illum modo Sacerdotali.

verò propoſuit, vt ipſimet illum inter ſe diuiderent, dicens apud Lucam; ***Diuidite inter vos:*** apud Matthæum verò; ***bibite ex hoc omnes.*** Alioquin enim, ſicut ipſemet diſtribuens ſpeciem panis, non opus habuit dicere: Comedite ex hoc omnes: (quia ſcilicet ipſemet particulam cuilibet ſumendam exhibuit) ita etiam; ſi ipſemet cuilibet Sanguinem ex calice bibendum porrexiſſet; non opus habuiſſet dicere: ***Bibite ex hoc omnes. &c.***

NB. Illud declamatum. Bibite omnes, retorquetur in caput Aduerſariorum, quia ex illo potius habetur: calicem peculiariter ſpectare ad Sacerdotes, quam peculiariter ſpectare ad omnes.

Atque hinc iam ruit, quod Lutherus & Caluinus maximè vrgent. Neque enim ideo Chriſtus ſoli calici adiũnxit, ***Bibite ex hoc omnes:*** quod peculiariter Calicem voluerit eſſe communem omnibus: (vt fingunt Lutherus & Caluinus) ſed, quia ipſemet fregit ſpeciem panis, alijſque ipſemet illam diſtribuit: ideò non opus habuit dicere: Comedite omnes. quia verò ipſemet non porrexit cuilibet ſeparatim Calicem; ſed propoſuit eum, vt quilibet per ſe ipſum ex illo biberet: ideò monuit, vt Biberent omnes, & quia accipere calicem in manum, & ex illo bibere, eſt, bibere modo Sacerdotali: ideo ex hoc (***Bibite omnes***) potius habetur: Calicem peculiariter ſpectare ad Sacerdotes, quàm peculiariter ſpectare ad omnes, &c.

CAPVT

Digitized by Google

CAPVT VII.

Ex Iohan.6 Cap. Niſi manducaueritis meam carnem & biberitis, *&c. & 1. ad Corinth. 11. non poſſe oſtendi: vtriuſque ſpeciei ſumptionem eſſe neceſſariam &c.*

EX hoc loco Ioannis cæpit totum incendium Septentrionis, vt videre eſt apud Aeneam Syluium in hiſt. Boemica cap. 35. vbi ait de hoc loco triumphaſſe omnes Hæreticos primos Bohemicos: quòd tandem reperiſſent textum in Euangelio manifeſtè repugnantem vſui & doctrinæ Romanæ. Atque hunc textum maximè vrgent hæretici Huſsitæ. Lutherus verò & Caluinus ipſum prorſus negligunt: adeo, vt doceant; ibi nec agi quidem de manducatione Sacramentali, ſed tantum de ſumptione Metaphorica per fidem in Chriſtum. Nec mirùm, quod Caluinus, ad vrgendam neceſsitatem vtriuſque ſpeciei, ab hoc textu ſibi caueat. Si enim vtramque ſpeciem ex illo vrgere vellet; clariſſima luce textûs conuinceretur, de neceſſaria veræ Carnis, veriqve Sanguinis Chriſti reali ſumptione, quam Chriſtus ibi omnibus modis inculcat. Neque enim aliud ibi agit Chriſtus, quàm vt nobis omnino imprimat: ſuam veram carnem, ſanguinemque ſuum verum à nobis verè ſumi debere; etiamſi id fiat ſub ſpecie Panis ſolùm. Ideò enim vrgens Chriſtus veritatem

NB. Apud Hæreticos nihil eſſe conſtans, vnde capit totum incendium, ibi iam nec volunt agi de manducatione Sacramentali, Cū tamen nullus ac iſte textus, ad ſpeciem faueat neceſſitati Calicis. Illud enim; Bibite omnes, *eſt pror-*

Digitized by Google

ſus inſulsũ, vt patebit ex vltimo cap.

rei, quæ in hoc Sacramento ſumitur: perpetuò, & manducationem carnis,& potum Sanguinis inculcat: *Caro mea verè eſt cibus : & Sanguis meus verè eſt potus: qui manducat meam carnem, & bibit meum Sanguinem, &c.* Loquens verò Chriſtus de ſpecie,ſub qua illa ſumuntur, tantum abeſt, vt vtramque ſpeciem vrgeat;vt Calicis vel vini nunquam faciat mentionem:ſed perpetuo ſolius panis tantum. Neque enim in hoc textu aliud reperies, quam mentionem carnis, Sanguinis, panis. Pani autem Chriſtus eundem fructum, qui ex ſumptione carnis & Sanguinis percipitur (qui fructus eſt vita æterna) adſcribit: Ait enim: *Qui manducat hunc panem : viuet in æternum.* Et: *Si quis manducauerit ex hoc pane: viuet in æternum. Hic eſt panis de cœlo deſcendens: vt, ſi quis ex illo manducet: non moriatur.*

NB. In hoc textu nil reperitur niſi caro, Sanguis, & panis,& pani quater attribuitur idem fructus (id eſt, vita æterna) qui carni & Sanguini.

Patet ergo manifeſtè: Chriſtum tantum inculcaſſe, veræ ſuæ carnis, & veri ſui Sanguinis ſumptionem realem:quorum perceptione percipiatur vita æterna:etiamſi id fiat,ſub ſola ſpecie Panis, cuius ſolius fit mentio.

Quæ autem fuit mens Chriſti magiſtri Ioannis 6. eadem fuit & Pauli diſcipuli 1. Cor. 11. ſcilicet inculcare; in hoc Sacramento ſumi verum & reale corpus & Sanguinem Chriſti, cuius vtriuſque quiſpiam fiat reus, etiamſi hoc Sacramentum ſub alterutra tantum ſpecie indigne ſumat. Nam, idcirco Paulus, poſtquam ex iſtis geſtis, & vltimis verbis Chriſti Vltima nocte habitis intulit alternatiuè; *Itaque quicunque manducauerit panem vel biberit calicem Domini*; proximè ſubijcit, non alternatiuè dicens; Is reus erit corporis *vel* Sanguinis Domini ; ſed copulatiuè ? *Is erit reus corporis , ET Sanguinis.*

cla-

Digitized by Google

clariſsimè indicans: ſe vrgere corporis & Sanguinis realem ſumptionem; ob quam ſcilicet quiſpiam reus fiat vtriuſque, etiamſi ſub alterutra tantum ea ſumat.

Confirmatur 1. iſta doctrina; quia verba hæc: *Itaque quicunque manducauerit panem, vel biberit calicem*, &c. ſunt ſcopus & concluſio emphatica; quam S. Paulus infert ex omnibus, quæ cum magna præmunitione narrauit: ſe accepiſſe, & tradidiſſe, tanquam vltimo dicta & geſta à Domino: at non infert coniunctionem ſpecierum (quam maximè intuliſſet, ſi coniunctio illi fuiſſet cordi) ſed coniunctionem corporis & Sanguinis ſub ſpeciebus alternatiuè ſumptis.

Conuincitur ergo S. Paulum non fuiſſe ſollicitum, de coniunctione ſpecierum, quas alternatiuè infert: ſed de veritate corporis & Sanguinis Chriſti; quam cum coniunctione effert: licèt proximè ex verbis Chriſti intuliſſet ſpecies diſiunctiuè:

Confirmatur 2. ſi Calix & panis ſemper neceſſario ſimul debent ſumi, cur diſiunctiuè ait Paulus, *Qui manducauerit, vel biberit*? ita enim habet textus Græcus, & Latinus vulgaris correctus, & ipſi Hæretici Kemnitius, & Lutherus in ſua Poſtilla, alijque ita legunt.

Dices: S. Paulus in eodem textu etiam coniunctiuè de ſpeciebus loquitur. Ait enim: *Quotieſcunque manducabitis panem hunc, & calicem bibetis; mortem Domini annunciabitis.* Reſpondeo, Cum in concluſione illa Emphatica (ad quam omnia, quæ dicit Paulus referuntur) ipſe loquatur diſiunctiuè; ex illa, præcedens coniunctiua intelligitur. Senſus enim Pauli eſt; quod quotieſcunque panem hũc comedimus, & quotieſ-

tieſcunque hunc Calicem bibimus, ſiue iſta ſimul ſumamus, ſiue vnum ſeorſim ab altero: ſemper mortem Chriſti in mentem reuocare debeamus. Idem etiam ſenſus eſt alterius propoſitionis S. Pauli, dum ait: *Probet autem ſeipſum homo; & ſic de Pane illo edat, & de calice bibat,* non enim his verbis præcipit Paulus; vt omnes vtramque ſpeciem ſumamus; ſed quotieſcunque has ſumimus; ſiue ſimul eas ſumamus, ſiue vnam ſeorſim ab altera; noſmetipſos prius probemus. Demũ idem etiam eſt ſenſus tertiæ propoſitionis ibidem; *Qui manducat & bibit indignè: iudicium* (id eſt condemnationem) *manducat & bibit.* Senſus enim eſt; Tam qui manducat indignè hunc panem, quàm qui indignè bibit calicem condemnationem manducat & bibit; ſiue iam vtramq; ſpeciem ſimul ſumat, ſiue vnam ſeorſim ab altera, cùm ex concluſione emphatica S. Pauli quis fiat reus corporis & Sanguinis, etiamſi ſpecies alternatiuè ſumat. *Quicunque enim manducauerit panem hunc, vel biberit: reus erit corporis & Sanguinis:* at, qui horum fit reus: is condemnationem manducat, & bibit.

NB. *Paulus non præcipit, vt vtramque ſpeciem ſumamus: ſed præcipit, vt quotieſcunq; has ſumim⁹ ſiue ſimul eas ſumamus ſiue vnam ſeorſim ab altera, memores Chriſti ſimus, priuſquam nos metipſos probemus. Etenim tam qui manducat, quam qui bibit indignè: is condemnationẽ manducat: & bibit. ſiue vtramque ſpeciem ſimul ſumat, ſiue vnam ſeorſim ab altera, Cum ex Concluſione S. Pauli quis reus fiat corporis & Sanguinis, etiam ſi ſpecies alternatiuè ſumat.*

CAPVT VIII.

Soluuntur Argumenta Aduerſariorum.

OBIICIVNT primò. Chriſtus ſub vtraque ſpecie inſtituit Sacramentum Euchariſtiæ, nonne, vt ſub VTRAQVE daretur. Reſpondetur primo, ſub vtraque quidem inſtituit, ſed vt ſub vtraque, & ſub alterutra dari poſſit; ſicut &

cut & ipſemet,& Apoſtoli,& ſub vtraque,& ſub alterutra illud dederunt, vt cap. 2. & 3. docui. Reſpondetur 2. Ita ſub vtraq; ſpecie hoc Sacramentum Chriſtus inſtituit: vt ex modo ipſo Inſtitutionis appareat,cum ſpecie Panis nō ſemper,& neceſſario iungendam eſſe ſpeciem vini. Cùm ſpeciem panis, vt cap 4. probaui, Cænantibus illis; ſpeciem verò vini poſt cænam factam per modum hauſtus, qui poſt abſolutam cœnam fit,inſtituerit.

Atque ſpeciem vini ita inſtituit; vt vi Inſtitutionis ab Euang. deſcriptæ peculiariter ſpectet ad Sacerdotes; vt cap. 5. & 6. oſtendi. Speciem enim panis vi textus Apoſtolis nondum Sacerdotibus,& modo Laico ſumendam porrexit; Calicem verò illis iam in Sacerdotes conſecratis,& modo Sacerdotali bibendum propoſuit. Actionem etiam circa ſpeciem panis abſolutè præſcripſit: actionem verò circa calicem, præſcripſit cum libertate: vt patebit in ſolutione quarti Argumenti.

Denique ipſa ſeiuncta Inſtitutio vnius ſpeciei ab altera; & poteſtas ſeiunctim data pro vna & altera adminiſtranda potius arguit illarum vſum, vi Inſtitutionis ſpectatâ, potius non neceſſario,quàm neceſſario ſemper eſſe connexum, quod etiam arguit miraculum illud panis multiplicati,quo ſibi parauit fidem pro Inſtitutione Panis Euchariſtici; cui etiam non adiunxit miraculum circa potum,quo in nuptijs Canæ Galilææ ſibi parauit fidem pro inſtituenda ſeorſim conuerſione vini in Sanguinem.

Reſpondetur tertiò. Eſto Chriſtus vtramq; ſpeciem inſtituerit; non propterea tamen vtriuſque vſum pręcepit. Nam, non quidquid Chri-

ſtus

ſtus inſtituit; illud etiam præcepit ſeruari. Sacramenta namq; Matrimonij, & Ordinis inſtituit Chriſtus; at non ſub præcepto. Et quomodo Chriſtus præcepiſſet obiri id, tanquam ad ſalutem neceſſarium; quod multis prorſus eſt ſeruatu impoſsibile. aliqui enim habent naturalem nauſeam tantam, vt odorem vini prorſus ferre non poſsint. In Iaponia verò, Noruegia, & alijs huiuſmodi locis, vix poteſt haberi aliquid vini vel pro Sacerdote ſolo Sacrificante; nedum pro vniuerſa multitudine; ſi præſertim ſæpius ad hoc Sacramentum percipiendum confluat. hoc enim Sacramentum, quia per modum cibi eſt inſtitutum, natura ſua frequentationem poſtulat.

Obijciunt ſecundo. Chriſtus proximus morti Teſtamentum condidit; & in eo legauit omnibus filijs ſuis Corpus, & Sanguinem ſuum, vt patet Lucæ 22. & 1. Corinth. 11. ergo teſtamentum Chriſti corrumpunt, & iniuſte filios Dei fraudant paterna hæreditate, qui Laicis negant Sanguinem Chriſti. Reſpondet Bellarminus iſtis imperitis ſatis, dicendo; hæreditatem nobis relictam, non eſſe panem, aut vinum; ſed corpus & Sanguinem Chriſti; quæ duo tam realiter dantur ſub vna ſpecie, quàm ſub vtraque.

Sed reuera, vterque ille locus nihil facit ad rem. Neque enim ſenſus illorum teſtimoniorum eſt, quod Chriſtus pro teſtamento reliquerit nobis Calicem aut Sanguinem. nam ſic, etiam Corpus eius dici deberet corpus, aut Panis noui Teſtamenti: at, de Calice tantum, & de Sanguine ſuo Chriſtus id dixit. Senſus ergo Chriſti ibi fuit hic, quod ſicut vetus Teſtamentum, ſeu fœdus, vel pactum (quod Devs per Moyſen cũ

ſuo

ſuo populo pepigit, promittendo terreſtria bona) confirmatum fuit effuſione Sanguinis vituli: ita nouum Teſtamentum ſeu fœdus, quod Pater per Filium ſuum nobiſcum pepigit, (promittendo hæreditatem æternæ vitæ) confirmatum eſt effuſione Sanguinis Chriſti in Cruce; quem Sanguinem Chriſtus dixit, illum eſſe, ſeu contineri in illo Calice: quem tunc Apoſtolis bibendum propoſuit, ita, vt ſenſus verborum Chriſti apud Matthæum & Marcum ſit; Hic Sanguis, quem vobis bibendum propono, eſt Sanguis noui Teſtamenti; ſicuti ille fuit veteris: quem Moſes effundens Exodi 24. dixit, *Hic eſt Sanguis fœderis* (ſeu Teſtamenti, vel pacti) *quod mandauit ad vos* DEVS.

Chriſtus ergò ſuis verbis, *Hic eſt Sanguis Teſtamenti*, alludit ad illa formalia verba Moyſis. *Hic eſt ſanguis fœderis*, nec aliud voluit, quàm effuſione Sanguinis ſui in cruce, quem tunc bibendum propoſuit; ſanciri nouum teſtamentum, ſeu pactum nouum, de hæreditate cœleſti initum, ſicut fœdus & pactum de bonis temporalibus olim fuit ſancitum per effuſionem Sanguinis vituli.

Quæ autem verba Chriſtus apud Matthæum (qui, vt notant interpretes, in perſona, cœnæ illi vltimæ interfuit, vnde & verborum formalium Chriſti magis conſcius erat) & apud Marcum (qui ea habuit ex Matthæo, cuius Euangelium iiſdem plerunque ſententijs, iiſdemque ſæpè verbis in compendium videtur redegiſſe) protulit, dicens; *Hic eſt Sanguis noui Teſtamenti*, eorum verborum, eundem ſenſum (neq; enim in re Sacri Euangelij Scriptores variant) ſed verbis aliquantulum variatis, obſcuriùs retule-

à Chriſto & Apoſtolis accepiſſet: vſum ſub ſpecie Panis ſola, nunquam introduxiſſet.

cie Panis ſola, niſi calicis vſum à Chriſto & Apoſtolis liberum accepiſſet.

Secundò Reſpondetur: Cuilibet ſyncero animo patere, illa omnia verba Chriſti: ***Niſi manducaueritis: niſi biberitis, meam carnem, meum Sanguinem, &c.*** à Chriſto tantum eſſe ideò expreſſa; vt prorſus inculcaret perfidis illis, cùm quibus ibi agebat; veram, & realem ſumptionem, ſuæ veræ & realis carnis; ſui veri & realis ſanguinis. Neque enim illa Chriſti verba, manducare, bibere, vrgent materialem illum modum manducandæ carnis eius: ne ſcilicet illam per modum aquæ diſtillatæ ſumamus; ſed maſticemus, ſanguinemque ſorbeamus; non in bolum aliquem incluſum per modum cibi deglutiamus; quod hæc alioquin nihil nobis ſint profutura; hoc, inquam, voces illæ (***niſi manducaueritis carnem, niſi biberitis ſanguinem***) non ſpectant: ſed illud ſolùm: vt omnino veram, & realem Chriſti carnem; verum & realem Sanguinem verè ſumamus: ſiue iam id fiat ſub vna, ſiue ſub vtraque ſpecie: quandoquidem Chriſtus, cum de ſpecie ſub qua hæc ſumuntur agit, ſolius panis facit mentionem.

NB. Si Chriſti præceptum non tantum ſpectaret, vt ipſius Sanguinem realem verè ſumamus: ſed & modum ſumendi præciperet; vt ſcilicet illum per modum hauſtus hauriamus, non per modum boli deglutiamus: tunc etiamſi quis vtrãq; ſpeciem ſumeret, ſi nimirum ſpeciem Panis in calicem intingeret, ſicq; vtramque ſpeciem ſimul deglutiret, adhuc Chriſti præcepto non ſati faceret. Eo igitur redigitur tota Controuerſia; Damus Aduerſarijs verum Sanguinem Chriſti, ex præcepto ipſius eſſe ſumendum. Sed quod ſorbeatur per modum hauſtus, & non vnà cum carne per modum boli deglutiatur, hoc tandem dicimus: non pertinere ad ſubſtantiam præcepti; alias enim, qui ſpeciem panis in calicem intinctam ſumeret, præcepto Chriſti non ſatisfaceret: quia nimirum non biberet. mira res: quod hoc (Bibere) ita Septentrio vrgeat.

Reſpondetur Tertiò. Siue ſub vna, ſiue ſub vtraque ſpecie hoc Sacramentum ſumatur; hoc, non ſpectat ad ſubſtantiam Sacramenti: cum æ-

que

rum & Doctorum Eccleſiæ) ſtatueret, aut permitteret vtramque ſpeciem: nos nequaquam vti vellemus.

En ergo iſtos, non ex zelo veritatis, aut Doctrinæ Chriſti, ſed ex mero in Eccleſiam odio vrgere vtramque ſpeciem; illam repudiaturi in contemptum Eccleſiæ; ſi hæc vtramque permitteret; vel ex legitima aliqua cauſa ſtatueret.

NB. Homini non ex amore veritatis, ſed ex mala animi affectione ſcribenti nulla fides eſt habenda.

Obijciunt 4. Chriſtus de calice dixit: ***Hoc facite in meam commemorationem***, at, quorſum? iubeturne hic, vt ex calice bibamus? an potius vt faciamus, ſeu conficiamus, ſeu conſecremus Calicem? quod eſt Sacerdotum tantùm. Sed reuera neutrum pręſcribitur de calice abſolutè. Quid ergo? Illud ſolùm: quod quando ex calice bibimus: id in commemorationem Chriſti faciamus.

NB. Verba hæc: Hoc facite, *apud nullū Euangeliſtam reperiuntur, præterquam apud Lucam, qui ea tantum Pani, non Calici ſubiungit.*

Sic enim habet Paulus 1. Cor. 11. ***Hoc facite quotieſcunque bibetis in meam commemorationem.*** Et ſane, ſi iſta verba: ***Hoc facite***, habent vim pręcipiendi tum conſecrationem, tum exhibitionem Sacramenti huius: conuincitur apertè: ſolam ſpeciem panis, eſſe abſolutè præceptam, non item calicem, ſeu ſpeciem vini. Quia D. Lucas cap. 22. hæc verba Chriſti, ***Hoc facite in meam commemorationem***, tantum conſecrationi & exhibitioni corporis ſui ſubiungit; non autem conſecrationi & exhibitioni calicis. D. Paulus quoque eadem verba ſine additione, vt iacent apud D. Lucam, ſoli ſpeciei panis apponit: calici verò non appoſuit, niſi cum limitatione libertatis, hoc modo: ***Hoc facite, quotieſcunque bibetis in &c.*** Quod ſi iſta verba: ***Hoc facite***, continēt

Et Paulus etiam (vt Lucas) ea ſoli Pani abſolutè ſubiungit; Calici vero ſubiungit cum limitatione libertatis; Hoc facite quotieſcūq; bibetis.

NB. Si vi inſtitutionis aque eſt principalis & aque

præcipuus vſus Calicis, ſicut panis. Cur Pani abſolute additur. Hoc facite. *Calici verò cum limitatione libertatis:* Hoc facite, quotieſcūq; bibetis.

Præceptum exhibitionis:cum tantùm de ſpecie Panis abſolutè, tam apud Lucam, quàm apud Paulum ſint à Chriſto prolata; de calice verò non ſint prolata,niſi cum limitatione, vt nimirum quando bibimus, id faciamus in commemorationem Chriſti: rectè profecto ex vi verborum infertur: abſolutè ſolius panis conſecrationem vel exhibitionem,non autem calicis, eſſe,præceptam.

Obijciunt 5. Chriſtus mandauit omnibus,vt biberent. Matth. 26. *Bibite omnes.* Reſpondeo Marci 14. dicitur. *Biberunt ex eo omnes*, vt ſignificaretur:eos omnes bibiſſe,quibus dictum erat, vt biberent: erant verò illi ſoli Apoſtoli: (de quibus *Lucas cap. 22. diſcubuit, & duodecim Apoſtoli cum eo*) qui in principio cœnæ iam conſtituti fuerant Sacerdotes,antequam illis calix daretur,vt cap.4. oſtendi;& quibus datus eſt calix modo Sacerdotali bibendus, vt cap. 5. probaui. Et ſi quæcunque Chriſtus, in vltima cœna cum Apoſtolis,de hoc Sacramento egit; ea ſpectant ad omnes, cum Chriſtus tunc dederit Apoſtolis poteſtatem conſecrandi, & adminiſtrādi Euchariſtiam (quando enim illam alias acceperunt?)omnes fœminæ, & pueri habebunt poteſtatem id præſtandi. Præterea, cùm à principio Eccleſiæ fuerit vſus vtriuſque ſpeciei, fuerit etiam vſus ſub ſpecie Panis ſola,vt cap. 1.demonſtraui,vnde habes(quod ſupra in ſolutione tertia argumenti 3. dicebam) verbo illo,*Bibite*, non tantum conferri poteſtatem & facultatem bibendi;ſed etiam præcipi: & quidem non tantum Apoſtolis,ſed omnibus,vt bibant? verbis autem illis: *Debetis alter alterius lauare pedes*, non præcipi,vt omnes Chriſtiani ſibi inuicem lauent pedes?

NB. *Si quæcunq; Chriſtus in vltima cœna cum Apoſtolis de Sacramento Euchariſtiæ egit ea ſpectāt ad omnes, pueri & fœminæ habebunt poteſtatem conſecrandi, & adminiſtrandi hoc Sacramentum.*

Digitized by Google

pedes? Si ergo vſus docet: verbo illo: *debetis* (quod aliàs omnino præceptum ſignificat) non contineri præceptum lauandi pedes; cur verbo illo *Bibite*, (quo aliàs non præcipiendo, ſed inuitando amicis dicimus, Comedite, Bibite) neceſſario continetur præceptum Chriſti pro omnibus, cum à principio Eccleſiæ fuerit vſus calicis liber. abſque hoc enim nunquam ab Eccleſia fuiſſet introducta communio ſub ſpecie Panis ſola. Inſtabis, ſi apud Matth. illa voce *Bibite*, non præcipitur omnibus calix: ergo nec illa voce *comedite*, præcipitur omnibus ſpecies panis. Reſpondeo, neutrum ibi omnibus præcipi; ſed ibi ritus tantum conficiendi hoc Sacramentum, ſumendique, Apoſtolis, vt Sacerdotibus præſcribitur: neceſsitas verò ſumendi hoc Sacramentum præcipitur omnibus Ioan. 6. *Niſi manducaueritis meam carnem. &c.* at ibi tantum fit mentio carnis, Sanguinis, & ſolius ſpeciei Panis, ſub qua illa ſumuntur.

NB. Eccleſia nūquam introduxiſſet cōmunionem ſub ſpecie Panis ſola, niſi partim ſcripto, partim vſu ab Apoſtolis accepiſſet: Calicis vſum pro Laicis non eſſe neceſſarium; nil enim Eccleſia vel agit vel definit, niſi iuxta primam regulam fidei Chriſtianæ, quæ eſt doctrina Chriſti & Apoſtolorū, partim ſcripto, partim vſu accepta, vt in 8. controuerſia demonſtro.

Obijciunt vltimo, 1. Cor. 11. *Hoc enim accepi à Domino, quod & tradidi vobis.* Vbi Apoſtolus ait; ſe à Chriſto accepiſſe calicem, quem Corinthijs tradidit: id eſt, præcepit. Vltimò, inquit Lutherus, in lib. de captiui. Babylon. cap. de Euchariſtia. ſtat inuictus Paulus omnium obſtruens ora. Et infra: Non dicit, inquit, permiſi vobis: Et infra rurſus, Tradidiſſe, eſt præcepiſſe. Hoc Argumentum (inquit contra Angliæ Regem) dicit, noli me tangere: ſed reſpondetur: ſimilem prorſus modum loquendi Pauli eſſe in cap. 5. *Tradidi vobis quod & accepi, quoniam Chriſtus mortuus eſt pro peccatis noſtris &c.* quàm ſtolidè ergo quiſpiam interpretaretur: *Tradidi*, id eſt, *præcepi*: quod Chriſtus eſt mortuus &c. tàm ſto-

Digitized by Google

dè Lutherus hoc loco cap. 11. *Tradidi vobis quæ geſta ſunt in vltima cœna,* interpretatur, *præcepi.*

Vnde ipſe Kemnitius 2. part. Examinis pag. 141. contra ſuum Magiſtrum docet: *Tradidi,* nō ſignificare: *præcepi,* ſed ſignificare: narraui, ſeu docui. Nec aliud vult S. Paulus, quam quod eo modo narrauit Corinthijs geſta in cœna Domini vltima; quomodo accepit ipſemet à Chriſto eſſe geſta: atque eo fine tradidiſſe ſe, ſeu narraſſe, vt ſcilicet benè intelligerent, quanta reuerentia ſit hæc actio obeunda; cùm is, qui indignè ſumit hoc Sacramentum, etiamſi ſub alterutra tantum ſumat illud, fiat reus corporis & Sanguinis CHRISTI.

Hoc enim concludit Paulus dicens: Itaque (attende obſecro, quid Paulus ex ijs, quę à Chriſto accepit, & Corinthijs tradidiſſe ſe dicit, concludat: hoc ne? vt vtramque ſpeciem Panis & calicis ſumamus? an, vt efficiat ſolùm, ne indignè, ceu Corinthij fecêre, hoc Sacramentum tractemus; cum ſub alterutra ſumptum indignè, faciat hominem reum corporis & Sanguinis Domini) quicunque manducauerit panem hunc, vel biberit calicem indignè: reus erit corporis & Sanguinis Domini. Recognoſce cap. 7. Controu. huius.

SYNOPSIS

SYNOPSIS TERTIÆ CONTROVERSIÆ, DE REALI PRAESENTIA CHRISTI IN EVCHARISTIA.

HANC Controuerſiam paucis expedio, quia iam non diſputo (vt in Tertia p. S. Thomæ) cum Philoſophis; (apud quos Sacroſanctum Euchariſtiæ myſterium magnas patitur difficultates) ſed ago cum hominibus, qui ſolam Scripturam venditant: At ex omnibus quatuor Sanctę Fidei noſtræ ſummis myſterijs, ſcilicet Sanctiſsimę Trinitatis, Incarnationis, Reſurrectionis, & Euchariſtiæ nullum eſt, in vniuerſa Scriptura, tantâ & tam ſæpè repetitâ aſſeueratione & claritate verborum expreſſum, ac myſterium hoc, veræ carnis Chriſti manducandæ: nullum etiam eſt, hoc vnico excepto, quod non poſsit oppugnari quibuſdam Scripturæ verbis ad ſpeciem claris: vt percurrenti hanc Controuerſiam clarè patebit.

Digitized by Google

TERTIA CONTROVERSIA.

DE VERA ET REALI PRAEſentia Sacri Corporis, & Sanguinis Chriſti in Euchariſtia.

CAPVT VNICVM.

QVOD IN EVCHARISTIAE Sacramento, Caro, & Sanguis Chriſti, verè, ac reipſa contineatur.

PRimi hæretici, (ſic eos appellat S. Aug. in pſal. 54.) qui hanc veritatem negarunt, fuerunt increduli illi diſcipuli, Ioan. 6. qui, cum ſæpius quàm ſepties, audijſſent Chriſtum dicentem: *Caro mea verè eſt cibus*; abierunt retro cum Capharnaitis. Fuit autem & Iudas, vnus ex ijs, qui tunc myſterium illud non crediderunt, vt D. Chryſoſt. probat homil. 46. in Ioan. ex verbis Euangeliſtæ, *ſciebat autem ab initio IESVS, qui eſſent credentes, & quis traditurus eſſet eum*; & ex verbis illis Chriſti: *Vnus ex vobis Diabolus eſt.* Auguſt. etiam tract. 27. in Ioan. dicit; quod ex quo Chriſtus illum ſermonem longum de comedenda ſua carne habuit, manſerit Iudas cum Chriſto; non ad intelligendum & creden-

Iudas fuit primus Caluiniſta:

credendum, ſed ad inſidiandum.

Hoc cùm ita ſit; Sacramentarij (vt optimè notat Valentia tom. 4. diſp. 6. pag. 1.) illum eundem ducem, ac præceptorem ſequuntur; *qui fuit dux eorum, qui comprehenderunt Ieſum* Act. 1. v. 16.

Eccleſia autem Catholica, fidem plenam & ſinceram habens Chriſto, docet, in almo Sacramento Euchariſtiæ, poſt conſecrationem, Dominum IESVM verè & ſubſtantialiter contineri.

Cæterum, diuinitùs permiſſum eſt: hanc veritatem ab iis oppugnari, qui nihil ita crepant, quàm purum, purum verbum DEI; cætera omnia tanquam humana, & inanes fallacias contemnentes; abutenteſque, ad hunc finem illo Pauli ad Coloſſ. 2. v. 8. *Videte, ne quis vos ſeducat per Philoſophiam, & inanem fallaciam*? quâ notâ Lutherus & Caluinus ſugillant S. Thomam, & Scholaſticos Theologos, quod de Fidei dogmatibus, non ex Scripturis ſolis, ſed etiam Philoſophicis rationibus diſputent. diuinitus, inquam, permiſſum eſt à Deo (qui non ſinit Eccleſiam ſuam tentari vltrà quam ferre poteſt,) ab huiuſmodi hominibus, philoſophiæ naturalis oſoribus, dogma Euchariſtiæ oppugnari. Quod, cùm ex parte ſolius philoſophiæ naturalis habeat difficultatem; ex parte autem Scripturæ prorſus nullam: fit, vt ſine vllo labore, Doctores Sanctæ Eccleſiæ, huiuſmodi hæreticorum inſolentiam confundant: qui, cùm ex profeſſo, ſolam Scripturam venditent: nihil ſtolidius facere potuerunt; quam dogma illud inuadere; quod, ſi Scripturam conſideres, nulla ex parte eſt expoſitum vlli calumniæ: ſed totam

difficultatem habet ex ſolâ , & vnicâ humanâ philoſophiâ.

Atque in primis, quid amplius poterat dicere Chriſtus ad inculcandam & imprimendam cordibus veritatem ſuæ carnis manducandæ, & veri Sanguinis ſumendi; quam illud Iohan. 6. v. 54. ſub iureiurando. *Amen dico vobis: niſi manducaueritis carnem Filij hominis, & biberitis &c.* & v. 55. *Qui manducat meam carnem, & bibit meum Sanguinem, &c.* & v. 56. *Caro mea verè eſt cibus, & Sanguis meus verè eſt potus.* & v. 57. *Qui manducat meam carnem, & bibit meum Sanguinem, &c.*

Occurrunt: Chriſtum hic tantum agere de manducatione Spirituali, id eſt, de fide; quâ, dum quiſpiam credit in Chriſtum, dicitur illud ſpiritualiter manducare. Deinde; eſto, inquiunt, Chriſtus dicat: *Caro mea verè eſt cibus &c.* tamen alibi etiam dixit, *Ego ſum vitis vera?* & nihilominus hoc tantùm metaphoricè intelligebatur.

Sed contra: Verum quidem eſt, Chriſtum cœpiſſe illum ſermonem Iohan. 6. de manducatione Spirituali; quæ fit per fidem in ipſum: dixerat enim Iudæis, vt crederent in ipſum, at Iudæi obiecerunt: quodnam opus faceret; vt eo ſenſibus percepto, in ipſum credere deberent: Deo enim & Moyſi olim crediderunt Patres eorum; quia ipſis datum fuit manna: Chriſtus autem, occaſione inde arrepta, ſubdit: ſe eſſe verum manna; & quidem multo melius, quàm illud Moyſis. Sic igitur accepta occaſione, myſterium Euchariſtiæ propoſuit Chriſtus, in quo, ſi Chriſtus voluiſſet omnibus modis inculcare ſuammet veram carnem dari ad mãducandum,

San-

Sanguinem verum ad bibendum, & non tantùm ſignum aliquod ipſius. Peto à te: quibus verbis efficacius id efficere potuiſſet, quàm ijs, quibus vſus eſt? Eſto id fuerit cum ſcandalo diſcipulorum, qui propterea diſceſſerunt, dicentes: *Durus eſt hic ſermo. quis poteſt eum audire?* Et *ex hoc*, inquit Euangeliſta, *multi diſcipulorum eius abierunt retro; & iam non cum illo ambulabant*; nō niſi ideò, quia intellexerunt Chriſtum, longè diuerſo modo dicere, Nunc: carnem ſuam verè eſſe cibum, &c. quàm quando aliàs dixit: ſe eſſe oſtium, vel vitem veram: velleque iam aliud, quàm metaphoram. quid autem velle? quod nimirum humana ratio, & auris prorſus non capiat. ideò enim dixerunt, *Durus eſt hic ſermo, & quis poteſt eum audire?* nihil autem tale protulerunt, quando aliàs Chriſtus dixit, ſe eſſe vel vitem veram, vel quidpiam ſimile. Et cùm id, quod illi dicebant, humanum auditum audire non poſſe, (quod etiam in hodiernum diem auris Caluiniana audire refugit) ſcilicet, carnem Chriſti, tanquam verum cibum, verè manducandam, Chriſtus toties repetiuiſſet, & idcirco etiā multi diſcipulorum ſcandalizati à Chriſto diſceſsiſſent: ſubiunxit Chriſtus conuerſus ad Apoſtolos; *Nunquid & vos vultis abire?* q. d. Fide hic opus eſt; non aure delicatâ humanâ, quæ hæc audire non poſsit; idcirco, qui hæc audire non poteſt, quaſi nimis dura; abeat.

Sicut autem apud Ioan. cap. 6. Chriſtus ita expreſsit carnem ſuam verè eſſe cibum, vt Hilarius homil. 5. in Matt. iure dicat: nullum de veritate carnis Chriſti & Sanguinis, apud Ioannem relictum eſſe dubitandi locum; ſic, & apud cæteros tres Euangeliſtas, in vltima cœnâ, (quā

Ioannes deſcribens, ſolus huius myſterij non amplius meminit: quia putauit, ſe mentem Chriſti circa hoc myſterium cap. 6. penitus declaraſſe) dixiſſe, clariſsimè reperitur: Id, quod illis porrexit comedendum, eſſe corpus ſuum; & quidem planè illud, quod pro noſtra ſalute à Iuda, Iudæis, à Iudæis Pilato eſſet tradendum; & liquorem, quem propoſuit bibendum: eſſe Sanguinem ſuum, illum omnino, qui pro ſalute noſtra eſſet effundendus. Addidit enim iſta Chriſtus, ad magis exprimendam veritatem ſui corporis, & Sanguinis.

Ex his, vt pote clariſsimis verbis Chriſti, Paulus contra Corinthios non dignè hoc Sacramentum tractantes 1. Corinth. 11. infert, dicens: itaque (q.d. ſi vera ſunt, quæ tantâ præmonitione retuli: quod nimirum ego ipſemet illa acceperim à Domino, quod vobis aliàs illa tradiderim, quod geſta & dicta ſint in vltima illa nocte, quando Chriſtus ſummè ſeriò, & ſummè apertè cum ſuis dilectiſsimis Apoſtolis egit: ſi, inquam, illa vera ſunt; ſequitur, quòd *Quicunque manducauerit panem hunc* (quem ſcilicet Chriſtus nocte illa clariſsimis verbis teſtatus eſt, eſſe corpus ſuum, dicens: *Hoc eſt corpus meum*) *vel biberit calicem*, (in quo, vt vobis tradidi, ipſe tunc ſimiliter, id eſt, eâdem prorſus ſeriâ aſſeueratione, expreſsiſsimè dixit eſſe Sanguinem ſuum) *indignè: reus erit corporis & Sanguinis*. Et, *qui manducat hunc panem, & bibit hunc calicem indignè, iudicium ſibi manducat & bibit, non diiudicans Corpus Domini* à cæteris cibis. Hæc omnia D. Paulus ſumma emphaſi ad conuincendos Corinthios intulit; putans; ex verbis Chriſti in vltima cœnâ prolatis, ſe manifeſtè conuincere, hunc panem

Euchariſticum, eſſe verum corpus Chriſti; & in calice illo contineri verum eiuſdem Sanguinem.

Et ſanè, in tota Scriptura; non tam clarè habetur: (vt rectè notat noſter Maldonatus in c. 22. Matth.) tres perſonas Diuinas, eſſe vnam naturam; Chriſtum, fuiſſe verum DEVM, & hominem; nos, in carne noſtrâ verâ, non ſpiritualiter ſolùm reſurrecturos: ac Chriſtus Ioan. 6. dixit, *Carnem ſuam verè eſſe cibum*; & cibum, quem in vltima cœna porrexit, eſſe corpus ſuum, pro nobis tradendum: & liquorem, quem dedit bibendum, eſſe Sanguinem ſuum. Ex quo Paulus intulit: eum, qui hoc indignè tractat, fieri *reum Corporis & Sanguinis Domini.*

Quod ſi in tanta Chriſti, & Pauli verborum repetita aſſeueratione, & claritate, licet Caluino figurarum & metaphorarũ tenebras offundere, ad eludendam veritatem corporis & Sanguinis Chriſti in Euchariſtia expreſſam: nihil eſt in Scriptura; & fide Chriſtiana vniuerſa, quod non poſsit euertere hæretica impudentia. quæ ideò, relictâ traditione, ad ſolam Scripturam appellat, (vt in vltima controuerſia patebit) vt hanc pro ſuo placito exponens, omnia fidei noſtræ dogmata inuertere poſsit.

Nam quando Scriptura dicit: *Ego, & Pater, vnum ſumus*: addunt Ariani: non vnum natura, ſed conſenſione voluntatis. Probantque id ex Ioan. 17. *vt omnes ſint vnum, ſicut Pater in me, & ego in eo.* At Caluiniſtæ nihil tam ſplendidum adferre poſſunt ad eludendam veritatem corporis Chriſti, his verbis à Chriſto expreſſam: *Hoc eſt corpus meum: quod pro vobis tradetur.* Ad eludendam verò veritatem Incarnationis Chriſti,

NB. Cur Hæretici ad ſolam Scripturam appellent?

Digitized by Google

ſti, Manichæi, & Marcioniſtæ, vtuntur illo ad Rom. 8. *Deus miſit Filium ſuum in ſimilitudinem carnis*; & ad Philip. 2. *In ſimilitudinem hominum factus, & habitu inuentus, vt homo.* Conclamarent Caluiniſtæ, ſi Chriſtus alicubi dixiſſet: ſe dare ſimilitudinem corporis ſui. Ad eludendam veritatem reſurrectionis noſtræ carnis, quod figuratè tantum & ſpiritualiter debeat intelligi: nō in eadem verâ & corporeâ carne: Origeniſtæ vtuntur illo Pauli 1. *Cor.* 15. *Seminatur corpus animale, ſurget Spirituale*; &, *Caro, & Sanguis regnum Dei poſsidere non poſſunt.* Allegant inſuper teſtimonia, quibus reſurrectio negari videtur. *Iob.* 14. *v.* 12. *Homo, cum dormierit, non reſurget: ſepulcbra eorum, domus eorum in æternum*; pſal. 48. v. 12. *Spiritus vadens, & non rediens*; pſal. 77. v. 39. Quid quæſo dicerent Caluiniſtæ: ſi alicubi in Scripturâ reperirent, corpus Chriſti non dari: ſicut dici videtur: Mortuos non reſurrecturos? Hæc ex Maldonato.

Ex omnibus ergò, quatuor Sanctæ Fidei noſtræ ſummis myſterijs, ſcilicet Trinitatis, Incarnationis, Reſurrectionis, & Euchariſtiæ, nullum eſt, ad quod calumniandum ex ipſa Scriptura prauitas hæretica occaſionem accipere non poſsit; excepto hoc vnico, Veræ carnis Chriſti manducandæ, quam tamen veritatem nihilominus impudentia Caluini eludere nititur, illud vnicum ex Ioan. 6. v. 64. maximè obtrudens: *Spiritus eſt qui viuificat: caro non prodeſt quidquam.* Sed reſpondeo primo: ſi caro Chriſti nihil prodeſt; quomodo Chriſtus dixit: *Qui mãducat meam carnem, habet vitam æternam*? Patet ergo; carnem, quam dixit Chriſtus nihil prodeſſe; non eſſe illam, de qua idem dixit; man-
ducatam

ducatam dare vitam æternam: ſed eſſe aliam carnem planè oppoſitam, quam Chriſtus ſemper odit: de qua eſt illud: *Caro & Sanguis Regnum DEI non poßidebunt*; & illud: *Caro & Sanguis non reuelauit tibi*; & illud *ad Galat.* 1. *v.* 16. *continuò non acquieui carni & Sanguini.* Hæc ergo caro nihil prodeſt. Reſpondetur ergo 2. Sicut cum Petrus Matth. 16. veritatem ſupernaturalem diuinitatis Chriſti confeſſus eſt, ſubiunxit Chriſtus, *Caro & Sanguis non reuelauit tibi, ſed Pater, &c.* Ita Iohan. 6. poſtquam ipſemet Chriſtus ſupernaturalem veritatem ſuæ carnis manducandæ, & Sanguinis bibendi edocuit, ſubiunxit, *Caro non prodeſt quidquam, ſpiritus eſt qui viuificat*, & vtrobique idem eſt ſenſus, ſcilicet; Homo carnalis, ſeu auris Spiritu deſtituta, non valet ad hæc diuina myſteria intelligenda; auris enim carnalis ad ſimilia dicit, *Durus eſt hic ſermo, & quis eum audire poteſt?*

Opus eſt ergo cæleſti, ſiue Patris lumine, apud Matt. ſiue, quòd idem eſt, Spiritus ſancti viuificatione apud Ioan. *verba enim mea*, ait Chriſtus, *ſunt Spiritus & vita*: vnde, ea carnalis & mortalis auris audire non poteſt, & multò minus intelligere; niſi à Spiritu viuifico excitetur.

(***)

SYNOR-

SYNOPSIS

QVARTÆ

CONTROVERSIAE.

DE PVRGATORIO, &c.

HAEC controuerſia conſtat quatuor argumentis, quibus demonſtratur dari Purgatorium, id eſt, locum, in quo poſt hanc vitam aliqui cruciantur ad tempus, antequam ad cœlum perueniant. Hoc dari conuincitur primò, ex 1. Corinth. 3. vbi Paulus agit contra quoſdam, qui ſe tamquam ſapientia & eloquentia inſignes prædicatores Chriſti, vanè diuendebant. contra hos ait Paulus; *fundamentum aliud nemo ponere poteſt præter id, quod poſitum eſt* à me, *quod eſt Chriſtus IESVS: ſi quis ſuperædificat ſuper fundamentum* hoc à me poſitum, *aurum, argentum, fœnum, ſtipulam; vniuſcuiuſque opus manifeſtum erit*. id eſt; ſi quiſpiam ſiuè ſolidè, ſiue curiosè, parum vtiliter & vanè, Chriſtum, quem à nobis accepiſtis, prædicauerit; id ſuo tempore manifeſtum erit. *Dies enim Domini declarabit*, id eſt, dies, quo quilibet noſtrum Chriſto Iudici ſiſtetur, declarabit: num quis ſolidè, an verò ad curioſitatem & vanitatem aliquam prædicarit; *In igne enim reuelabitur dies illa*; & proinde tunc, tanquam in luce clara, patebit; quid cuiuſque opus valeat. *Et vniuſcuiuſque opus*, quod ſcilicet quis docendo vel agendo præſtitit, *Ignis probabit*,

bit, id eſt, vniuſcuiuſque opus, ſeuerum & iuſtum Dei iudicium examinabit. *Si cuius opus, quod ædificauit*, manſerit, id eſt, ſi cuius opus iudicium Dei ſeuerum ſuſtinere potuerit, ſicut aurum ſuſtinet ignem, *is mercedem accipiet. Si cuius opus arſerit*, id eſt, ſi cuius opus iudicium Dei non ſuſtinuerit, ſicut fænum & ſtipula non ſuſtinet ignē, *is detrimētum patietur*: Græce ζημιωθήσεται, id eſt, is mulctabitur, *ipſe tamen ſaluus erit, ſic tamen quaſi per ignem*. id eſt; non dico tamen illum, qui tantùm curioſè, vel vanè quippiam docuit vel egit, omninò periturum, ſed ſaluabitur, ad ſimilitudinem tamen rei, quæ tranſit per ignem, id eſt, inultus tamen non tranſibit. Et pone etiam D. Paulum id non docuiſſe, quod textus omninò habet (ſcilicet eum, qui, ſeruato Chriſto per fidem & dilectionem, in agendo vel docendo, fuerit aliquo modo vanus (vanitate hac in die Domini, id eſt, in die iudicij detectâ) ſaluandum quidem; ſed poſt ignem & mulctam. pone, inquam, hoc D. Paulum non docuiſſe: quid quæſo tu de huiuſmodi homine ſtatues? præcipitabis ne eum ad æternum cruciatum propter ſolam curioſitatem, & vanitatem alicuius verbi, vel operis? cum qua defunctus ſit, & examini Chriſti Iudicis, ſubiectus? an ſtatim ad cœlum extolles? at, *nil coinquinatum intrabit in regnum cœlorum*, Apoc. 21. v. 27. an potius dices cum Paulo, ſaluabitur iſte; ſed prius purgatus per ignem? Ergò, peracto iam Examine operum in alia vita (neque enim hic fit illud examen) à Chriſto Iudice, datur Ignis puniens: poſt quem eſt ſalus.

Secundum argumentum, quo probatur; eſſe purgatorium, ſeu locum, in quo animabus defunctorum

functorum noſtris precibus prodeſſe poſsimus, deducitur cap. 4. noſtræ controuerſiæ ex lib. 2. Machab. cap. 12. ex S. Paulo 1. Corinth. 3. cap. 15. v. 29. & ex inſtinctu totius naturæ humanæ. Sacer enim ille author lib. 2. cap. 12. v. 44. ponit pro re certa: *rectè, imò & ſalubriter orari pro animabus defunctorum*, & inde infert: ergò animi noſtri vna cum corpore non extinguuntur? (alioquin enim, inquit ille author: *ſuperfluum & vanum eſſet pro illis orare*) ſed manent ſuperſtites reuniendi corporibus per reſurrectionem.

Atque eodem prorſus argumento vſus eſt S. Paulus 1. Corinth. 15. ad probandam immortalitatem animi noſtri reuniendi corpori per reſurrectionem. nimirum aliquid ſiue lauacri, ſiue pœnitentiæ, ſiue alicuius alterius ritus, non vanè & ridiculè pro mortuis ab hominibus peragi, ita vt licet aliqui homines errent, hoc vel illud agendo (puta lauando ſe vt Turcæ & Iudæi) pro defunctorum ſalute; non errent tamen in eo, quod putent aliquid (quidquid demum illud ſit) rectè fieri pro ſalute defunctorum. ſicut plurimi errant, dum hunc vel illum Deum colunt: non errant tamen in eo, quòd putant, aliquod numen diuinum colendum.

Hoc igitur, pro re indubitata, poſito; quod nimirum in auxilium defunctorum rectè aliquid fiat, quidquid illud ſit; & author libr. Machabæorum, & Paulus intulerunt: ergò animus noſter non cadit cum corpore, ſed manet ſuperſtes, reuniendus corpori per reſurrectionem. Atque ex inſtinctu ipſo naturæ habemus, quòd pro mortuis oremus: vel quid aliud præſtemus (& proinde ex inſtinctu naturæ no-

ſtræ datur locus, in quo illis auxilio eſſe poſſumus) quod enim eſt apud omnes, illud eſt ex inſtinctu naturæ, ſeu à natura, ex Ariſtotele 1. periherm. 1. At omne genus hominum eſt ſollicitum pro ſuis mortuis, & paratum præſtare aliquid ad eos iuuandos, Iudæi, Turcæ, & Ethnici. Quid? ipſimet hæretici non poſſunt extinguere communem illum inſtinctum totius naturæ humanæ; nec volunt ſemper videri magis impij in ſuos defunctos, quàm Turcæ, Iudæi, & Gentiles. Et ideò etiam ipſi ſuis defunctis benè precantur; & aliquando etiam pro ipſis orant. Naſcitur autem hæc motio communis omnium gentium benè precãdi mortuis, ex inſtinctu immortalitatis animorum, à nobis hinc diſcedentium; & ex inſtinctu triplicis ſtatus eorundem in alia vita, in quorum ſcilicet vno, animæ, quæ hinc diſceſſerunt, noſtris votis & precibus iuuari poſſunt.

Hinc notanda impietas hæreticorum: Cùm enim ſententia de purgatorio, ex inſtinctu naturæ ſit nobis cõmunis cũ Iudæis, Turcis, & Gẽtibus: ideo dicunt: nos ab his Purgatorium (ſeu locum pœnæ temporalis, & in quo animæ à nobis iuuari poſſunt) eſſe mutuatos. Ergò ne: quia Iudæi, Turcæ, & Gentes omnes, Deum aliquem colunt, atque alterius vitæ æternam fęlicitatem, & cruciatum agnoſcunt: ideo quod etiam nos colamus Deum, arbitremurque in alia vita reperiri locum felicitatis, & cruciatus, tum æterni tum temporalis, illud ex Somnio Scipionis apud Tullium accepimus?

Tertium argumentum, quo efficaciter oſtenditur, dari purgatoriũ, ſeu dari pœnam tẽporalem in alia vita; ſic deducitur cap. 5. huius Controuerſiæ.

H Multi

Multi ſancti viri, de peccatis ſuis commiſsis in hac vita, grauiſsimè dolent: & nihilominus in pœnam ſuorum peccatorum (vt Sacræ Scripturæ expreſsè habent) hic à Deo acerbè affliguntur, licet pro huiuſmodi afflictione auertenda, cinere, cilicio, & lacrymis ſe conficiant (vt fecit Dauid pro auertenda morte filij) alij æquè, & multo grauius peccant; qui longe minus ſe hic affligunt; & à Deo hic longè minus affliguntur. Ergo dabũt pęnas alibi. Qui enim peccas, vt Dauid (& grauiùs) & hîc quidẽ luges, ſed lõgè minus ac Dauid Rex: nec hic affligeris ac Dauid: lues alibi, nec enim es charior Dauide, *qui erat ſecũdum cor Dei.* Quod ſi tu, qui pro peccatis æquè, & magis enormibus; luges quidem; ſed non æquè, nec à te, nec à Deo in hac vita affligeris, ac Dauid: arbitreris, non ſat tibi eſſe, luere in alia vita pœnam aliquam temporalem? crucieris ergò æternum.

Quartum argumentum ad probandum Purgatorium; ſeu locum, in quo animabus piè dormientium proſint noſtræ preces: petitur ex ſenſu & praxi Eccleſiæ vniuerſæ, quæ primis quingentis annis floruit: quando (inquit Calui. lib. 4. Inſtit. cap. 2. §. 8.) extra controuerſiam erat, nil à principio vſque ad illam ætatem mutatum fuiſſe in vera doctrina, & quando (vt ibidem ait) fœtida meretrix, non erat ſubſtituta, pro Sacra Chriſti ſponſa.

QVARTA

Digitized by Google

QVARTA CONTROVERSIA.

DE PVRGATORIO.

CAPVT I.

PVRGATORIVM ESSE, conuincitur omnino, ex 1. Corinth. 3.

PER Purgatorium, intelligimus locum, in quo poſt hanc vitam aliqui cruciantur ad tempus, antequam ad cœlum perueniant. Hoc dari, conuincitur primò ex 1. Cor. 3. vbi dicit Paulus: eum, qui ſeruato Chriſto (per fidem ſcilicet & dilectionem,) vanitatem aliquam affectarit, ſiue agendo, ſiue docendo: in die, quo Chriſto Iudici ſiſtetur, ſaluandum quidem, ſed prius igne punitum. Agit enim D. Paulus, totis primis quatuor capitibus primæ epiſtolæ ad Corinthios, contra quoſdam, qui ſe, tanquam ſapientia & eloquentia inſignes prędicatores Chriſti, diuendebant; atque in populo Corinthio zelum, & contentionem excitabant. vnde ortæ fuêre factiones; dicebaturque à Magiſtrorum illorum diſcipulis: Ego ſum illius, ego ſum alterius magiſtri. quod in ſuam, & Cephæ, & Apollo perſonam tranſtulit Paulus; vt in ipſorum perſonis

NB. In inferno nulla eſt redeptio. Purgatorium eſt locus, in quo poſt ignem. eſt ſalus: neque enim omnes qui hinc peccatores diſcedunt: ſunt adeò rei, vt in æternum cruciari debeant, ſine vlla vnquā ſpe ſalutis.

Digitized by Google

diſcerent Corinthij, non inflari debere vnum aduerſus alium, pro alio.

Atque ad faſtum illorum prædicatorum ſupprimendum, ait Apoſtolus: *Ego plantaui* (qui tamen, vt cap. 2. habetur, *non veni in ſublimitate ſermonis, aut ſapientia humana; ſermo enim meus & prædicatio mea, non in perſuaſibilibus humanæ ſapientiæ verbis*) ſcilicet fidem & dilectionem in Chriſtum: *Ego vt ſapiens architectus fundamentum poſui, alius verò* (ſcilicet vos glorioſioli) *ſuperædificat* ſupra meum laborem. *Vnuſquiſq; autem videat, quomodo ſuperædificet* (id eſt, vnuſquiſque attendat; qualiter officium ſuum in prædicanda doctrina à nobis accepta, obeat) *Fundamentum enim aliud nemo ponere poteſt, præter id, quod poſitum eſt, quod eſt Chriſtus Ieſus* (id eſt: quod enim attinet ad primam baſin ponendam, cui cætera omnia inniti debent: non eſt quod glorièmini, quia hæc, alia, quàm Chriſtus, eſſe non poteſt; quam baſin nos poſuimus) *ſi quis autem* (pergit Paulus) *ſuperædificat, ſupra fundamentum* hoc à nobis poſitum, *aurum, argentum, fœnum, ſtipulam: vniuſcuiuſq; opus manifeſtū erit* (id eſt; ſi quiſpiam ſiue ſtolidè, ſiue curioſè, parum vtiliter & vanè Chriſtum, quem à nobis accepiſtis, prædicauerit; id ſuo tempore manifeſtum erit) *Dies enim Domini declarabit* (id eſt, dies, quo quilibet Chriſto Iudici exacto ſiſtetur, declarabit: num quis ſolidè, an verò ad curioſitatem & vanitatem aliquam prædicauerit) *in igne enim reuelabitur* (ſcilicet dies illa; & proinde *tunc illuminabūtur abſcondita tenebrarum*, patebitque exactè; quid cuiuſque opus valeat) *Et vniuſcuiuſque opus*, (quod ſcilicet quis docendo, & multo magis quod agendo præſtitit) *ignis probabit: ſi cuius opus* quod

(do-

(docendo,agendóue)ædificauit, *manſerit:*(id eſt, ſi cuius opus ſolidum detegetur) *is mercedem accipiet*: Si cuius opus arſerit: (id eſt,ſi cuiuſquã opus reperietur inſtar ſtipulæ,quæ ſtatim in vanam flammam abeat) *is detrimentum patietur* (græce ζημιωθήσεται, id eſt,mulctabitur, ſeu non abibit ſine mulcta) *ipſe autem ſaluus erit, ſed quaſi per ignem* (non dico tamen illum, qui tantum vanè quidpiam vel docuit vel egit,omnino periturum : ſed ſaluabitur, ad ſimilitudinem tamen rei,quæ tranſit per ignem, id eſt, benè tamen excoquetur,ſeu inultus non abibit.

Itaque,particula illa, *Quaſi*, non vrget ſimilitudinem ignis, (vt rectè docet Bellarm.) ſed vrget ſimilitudinem rei tranſeuntis per ignem. q.d. cum homine vano,vel in verbis, vel in actionibus: agetur omnino eo modo, quo cum re agitur, quæ igne expurgatur. Sic Ioan. 1. v. 14. *Vidimus eum, quaſi vnigenitum*, id eſt, vidimus eum eo modo, quo decet vnigenitum videri (ſic etiam particula, *vt*, & particula, *tanquam*, in Scriptura veritatem rei, & non ſimilitudinem tantum veritatis,aliquando ſignificat. Ad Philip. 2. v. 8. *habitu inuentus, vt homo:* Apocal. 5. v. 6. *Et vidi agnum ſtantem tanquam occiſum:* id eſt: verè occiſum, (ex Ruperto,ibi; & aliis) In hoc ergo textu Pauli clariſsimum eſt: quid in die Domini (quo quiſque noſtrum Chriſto Iudici ſiſtetur) peracto examine,ſeu peracta probatione operum, ſit futurum. cuius enim opus illo examine detegetur ſolidum inſtar auri,argenti, is mercedem accipiet; cuius opus detegetur vanum,authoṙ illius ſaluabitur quidem; ſed non impunitus. Hoc itaque totum (in quo ſolo conſiſtit punctum controuerſiæ, quam habemus

Digitized by Google

cum Hæreticis) ita textu diligenter expenſo, ſeſe manifeſtat; vt ſecluſo etiam conſenſu SS. Patrum, animus ſincerus huic non poſsit non aſſentiri. Illud ſolùm in textu eſt obſcurum: quomodo nimirum opera noſtra illo die examinabuntur. At nos non diſceptamus: quomodo examen operũ ſit inſtituendum; ſed ſolùm, quid ſit futurum cum illo homine; cuius opus, peracto iam examine illo, (quomodocunque demũ id peragendum ſit) detectum fuerit, vel vt aurum, vel vt ſtipula. Et hoc verba Pauli ita exprimunt; vt tergiuerſationi nullus omninò ſit locus; ſcilicet eum, cuius opus repertum fuerit tanquam aurum, ſolidum; accepturum mercedem; eum verò, cuius opus repertum fuerit, vt ſtipula: ſaluandum quidem, ſed non impunè.

Quando ergo Kemnitius primo obijcit; locum iſtum Pauli eſſe difficilem & obſcurum, etiam Auguſtino teſte, lib. de Fide, & operibus c.15. & in Enchirid. cap. 68. ac proinde, non poſſe dogma fidei ex illo probari; cùm poſsit diuerſis modis intelligi; ſicut etiam variè admodum ab orthodoxis Scriptoribus eſt expoſitus. Reſpondeo, concedendo: hunc textum eſſè quidem obſcurum, ſi attendas ad modum, quo deſcribuntur opera noſtra probanda, ſeu examinanda; & ex hac parte, eundem textum pati varias interpretationes; ſed, quod ij, quorum opera, peracto examine, cõſtiterit eſſe ſolida, ſint mercedem accepturi; ij verò, quorum opera vana eſſe, deprehenſum fuerit, ſint ſaluandi quidem, ſed prius caſtigati: ex textu prorſus manifeſtum eſt. Et de hoc ſolo nunc contendimus: quod ſcilicet, peracto examine operum, à Chriſto Iudice,

Digitized by Google

ce, non duplex tantum genus hominum ſit futurum, vt volunt hæretici, quorum illi ſaluentur, damnentur iſti; ſed triplex genus. Primum eorum, qui ſuorum operum, quæ planè aurea, argenteaque fuerint: mercedem plenam accipient. Secundum eorum: qui propter opera ſua prorſus peruerſa, damnabuntur ad inferos; (de quo genere hominum, Paulus hîc nullam facit mentionem; quia D. Paulus hic, tantum agit de ijs, qui, ſtabilito fundamento Chriſti, id eſt, ſeruatâ fide & dilectione in Chriſtum, docendo vel agendo ſuperædificant; vel prorſus ſolidè, vel cum aliquâ vanitate. At, qui omnino perverſè docent, vel agunt: hi Chriſtum penitus euertunt: vnde de his Paulus hic non agit.). Tertium genus eorum, qui, propter aliquam vanitatem, quam doctrinæ vel operibus admiſcuerunt, ſaluabuntur quidem; ſed non priùs, quàm caſtigentur. Atque hoc vnicum genus poſtremum, illud eſt, quod expreſsè, ex Paulo, contra hæreticos vrgemus; nihil iam laborantes de modo; quo tunc iſti ſunt puniendi. Neque enim nunc in controuerſiâ eſt, qualiſnâ ſit ille Purgatorius ignis futurus, veruſne ſeu ſimilis noſtro, an ab hoc diuerſus; & quomodo animas cruciaturus; ſunt enim ſubtilitates iſtæ propriæ Scholaſticorum, qui etiam de igne Infernali, quo Spiritus excruciantur, talia diſputationibus exagitant, at nos nunc cum hæreticis agimus, illud ſolùm obtinere contendentes: vt poſt hanc vitam, facto examine omnium operum à Chriſto Iudice, triplicem hominum ſtatum agnoſcant; Beatorum, Damnatorum, & eorum, qui admittentur ad beatitudinem; non tamen, niſi priùs

NB. Controuerſia fidei non eſt: qualis ignis purgatorius ſit futurus: Corporeuſne, & ſimilis noſtro: an omnino diuerſus: ſed controuerſia fidei eſt, an omnes hinc, in peccato quouis decedentes, ſint in æternum cruciandi, ſine vllâ vnquam ſpe ſalutis, an aliqui tantum ad tempus

 tran-

ſint affligendi, ſiue hoc fiat vero Igne, ſiue alia pœna, quæ affligat animam, vt Ignis corpus excruciet.

NB. Fierine poteſt quotquot peccatores hinc diſcedunt, adeo eſſe reos, vt omnes cruciari debeant in æternum in inferno nullus alicubi ad tempus? nonne fœminæ vanæ ob elegantiam Capillorum: & viri vani ob elegantiam verborum ſaluabuntur, ſed per ignem?

tranſeant per ignem: id eſt, non niſi priùs benè caſtigentur.

Et, pone etiam, D. Paulum, non dixiſſe id, quod omnino textus habet (ſcilicet eos, qui ſeruatâ fide & dilectione in Chriſtum, in agendo vel docendo vani fuerint aliquo modo; vanitate hac, in die illa Domini repertâ, ſaluandos quidem, ſed non ſine igne aut mulcta): pone, inquã, hoc D. Paulum non dixiſſe; quid quæſo tu de huiuſmodi ſtatues? præcipitabiſne eos ad infernum, propter ſolam vanitatem aliquam verbi aut operis, cum qua defuncti ſunt, & ante Chriſtum Iudicem ſtatuti? an ſtatim ad cœlum extolles? at, nihil coinquinatum intrabit in regnum cœlorum, Apoc. 21. v. 27. an potiùs dices cum Paulo: ſaluabuntur iſti; ſed priùs purgati per ignem?

CAPVT II.

Gratia doctrinæ amplioris, diſcutitur; qualenam ſit futurum examen illud operum.

QVAERES: in quo conſiſtat difficultas modi, quo in die Domini examen noſtrorum operum deſcribitur inſtituendum? Reſpondetur: in eo, quod Paulus dicit: *Vniuſcuiuſque opus ab igne probandum*; & vnius opus manſurum; alterius arſurum. hoc inquam totum, & hoc ſolùm, in textu eſt obſcurum, ad operis tantum examen pertinens. Cæterum, quod is, cuius opus eſt, ſolidum, & illæſum permanſurum, mercedem

dem ſit accepturus; & cuius opus tanquam ſtipula eſt arſurum, is ſit ſaluandus quidẽ, ſed prius igne purgandus: hoc, inquam, quilibet, modò mentem errore præoccupatam non habeat, facilè intelligere poteſt, imò etiam ſi non ad ſingula verba, quibus continetur examen operum, attendamus; ſed tantum ad illorum communem ſenſum: clarè deprehendere eſt, quid ſibi Paulus velit, clarum enim eſt: Paulum non aliud velle, quam, in die Domini, manifeſtâ luce patefaciendam, vel ſoliditatem, vel vanitatem operis vniuſcuiuſque hominis.

Tota ergo difficultas eò redigitur, quod dicat Paulus: *ignem* id patefacturum: opus ſolidum non lædendo; vanum adurendo. Cùm ergo opera noſtra, (quæ vel docendo vel agendo peregimus) non ſint vllo modo materia; quam ignis adurere poſsit; &, cum præſente iam die Domini tranſierint: ideo, quando textus dicit: *ignem probaturum opera noſtra*; ea vel non lædendo, vel adurendo: neceſſario vel in operibus, vel in igne adurente, latere debet tropus, ſeu metaphora. Sunt ergo inprimis, qui tropum aiunt latere, in operibus: atque opera (ſicut ſæpe fit in Sacra Scriptura) dicunt accipi pro ipſis operantibus. Sic DEVS viſitare peccatum dicitur; quia ſcilicet viſitat homines, & punit; propter peccata. Similiter ignis in die Domini dicitur, vel non læſurus, vel aduſturus omnia opera, id eſt, omnes homines, propter illorum opera.

Poſita ergò metaphora in operibus, ſumptis pro operantibus; in Igne, nullam ponunt metaphoram: ſed, per ignem intelligunt ignem purgatorium. Et; quia textus dicit: vniuſcuiuſque opus, etiam aureum, & argenteum, id eſt, vnum-

Digitized by Google

quemque operantem etiam optima quæuis opera, ſubijciendum illi igni, ſeu probandum ab illo igne: hinc eſt, quod aliqui volunt: omnes in fine vitæ huius tranſire debere per ignem purgatorium: adeo, vt Origenes (ſicut videre eſt apud Maldonat. explicantem illud Lucæ cap. 2. *Et tuam ipſius animam pertranſibit gladius*, per quem gladium aliqui ignem purgatorium intelligunt) velit: etiam Beatam Dei Matrem, per ignem Purgatorium tranſijſſe, ſine vlla tamen læſione.

Verùm Eccleſia perpetuò ſenſit: Sanctos martyres, & infantes, poſt baptiſmum morientes, ſtatim in cœlum recipi, ſine vllo tranſitu per Ignem, vt docet Concilium Florentinum, ſeſſ. vltima. Et Auguſt. in pſalm. 37. ſi ædificarent, inquit, aurum, argentum, lapides precioſos: de vtroque igne ſecuri eſſent; non ſolùm de illo æterno, qui in æternum cruciaturus eſt impios; ſed etiam de illo, qui emendabit eos, qui per ignem ſalui erunt. Hæc Auguſtinus.

Sunt ergo alij, qui etiam *per ignem opus probantem* intelligunt Ignem Purgatorij; à quo, inquiunt, eo ipſo, quo quis in altera vita erit liber, conuincetur, ſeu probabitur: opera habuiſſe aurea; qui verò ignem illum experietur; conuincetur, operibus eius admixtam fuiſſe ſtipulam. Ipſa inquiunt, euaſio ignis, reuelabit bonitatem operis. Sic ignem probantem opus vniuſcuiuſque interpretantur ex aliquot Patribus, Suar. & Valent. de pœnitentia, quæſt. de Purgatorio. Eſtque doctrina in ſe legitima, & verbis textus, non prorſus incommoda.

Alij tamen, vt Anſelm. Haymo, Hugo in hunc locum; per ignem, intelligunt ignem conflagrati-

flagrationis; qui erit in aduentu extremo Chriſti Iudicis, de quo *pſalm. 96. v. 3. Ignis ante ipſum præcedet* & Ioel. 2. v. 3. *Ante faciem eius ignis vorans* 2. Theſſal. 1. v. 3. & 8. *In reuelatione Domini noſtri Ieſu Chriſti de cælo cum Angelis virtutis eius, & in flamma ignis &c.* Hunc Ignem, inquiunt, adducit Paulus in argumentum futuræ declarationis; quam dies Domini adferet; ſumpta analogia ex natura ignis: qui & lucet, & vrit. Ratione prioris, ſignificat lumen, quod *illuminabit*, & retegit *abſcondita Tenebrarũ*, vt habetur 1. ad Cor. cap. 4. Ratione verò poſterioris, ſignificat incendium, quod illa die, nihil impurgatum relinquet. quicquid enim non purgatum apparebit, comburet, ſcilicet adurendo illos, qui tunc nondum purgati comparebunt; cæteros non lædendo, qui propterea hoc ipſo videbuntur habuiſſe opera aurea, argentea. Quod ſi aliqui longiori tempore tunc purgari indigebunt, quàm conflagratio illa ſit duratura; diuturnitas, grauitate ſupplicij compenſabitur.

Hæc etiam doctrina in ſe, eſt legitima, atque hoc commodi habet: quod cum in textu, ter fiat mentio *Ignis*: hæc ſententia ſola omnibus tribus vicibus, nomen *Ignis*, eodem modo accipiat, ſcilicet pro *Igne* conflagrationis. in iſto namque igne, ex hac ſententia, *Dies Domini reuelabitur*; & hic *ignis probabit opus cuiuſque*; ſcilicet eos, qui tunc non purgati comparebunt; adurendo; cæteros, non attingendo: quorum opera hoc ipſo conuincentur fuiſſe aurea. Et denique, hic ipſe ignis, erit ille, per quem tunc tranſeuntes ſaluabuntur, ij nimirum, quorum opera fuerint ſtipula.

Alij tamen, vt Bellarminus, cum aliquot ex

SS. P.

SS. P. quos citat, dicunt: tropum huius ſententiæ; *Vniuſcuiuſque opus ignis probabit*, non eſſe in illa voce, *Opus*; ſed in voce *Ignis*: quo ſignificetur, ſeuerum, & iuſtum Iudicis DEI iudicium, quod dicitur *Ignis*, quia puriſsimum, celerrimū, efficaciſsimum, & intimè penetratiuum. Vnde Daniel. 7. *fluuius igneus egreditur de ore eius*. Et quia DEVS, totus eſt iuſtitia; totus iudicium; inde, in Scripturis vocatur *Ignis*; Malachiæ 3. v. 2. *Ipſe quaſi ignis conflans*. Et ad Hebr. 12. v. vltimo. *Et enim Deus noſter, Ignis conſumens eſt*. Iſte ignis examinabit opus cuiuſque; *ſi cuius opus manſerit*, id eſt, ſi cuius opus iudicium DEI ſuſtinere poterit, ſicut aurum, ſuſtinet ignem, *is mercedem accipiet*; ſi verò *cuiuſpiam opus arſerit*, id eſt, ſi cuius opus iudicium DEI non ſuſtinuerit, ſicut fœnum & ſtipula non ſuſtinet ignem, *detrimentum patietur*, id eſt, punietur; ſed tamen, qui tale opus operatus eſt: ſaluus erit; ſed *quaſi per ignem*, id eſt, ſed impunitus non abibit.

NB. *S. Paulus omne quidē opus etiam aureū ſubijcit igni, at non omnem operantem; ſed tantum eum, cuius opus detectū fuit ſtipula, addicit igni; eum verò, cuius opus per ignem (examinantem opus) detegetur aureum: igni non ſubijcit, ſed mercedem accepturum pronunciat: quod autem hic textus hactenus varios turbauit, eſt: quia ſupponunt D. Paulum omnem, etiam opus aureum operantem, ſubijcere igni, cū tamen D. Paulus non dicat: vnūquemque*

Hæc doctrina etiam eſt legitima; & id maxmi commodi habet, quod nulla ex cæteris, quia cæteræ omnes enumeratæ; per opus, ipſum operantem intelligunt: at S. Paulus, per illam aduerſatiuam; *ipſe autem ſaluus erit*, clarè operantem diſtinguit ab opere; &, cùm opus omne, etiam aureum, ſubijciat igni: operantem tamen non omnem; ſed tantum eum, cuius opus fuerit ſtipula, addicit igni; cæterum eum, cuius opus, per ignem detegetur, vt aureum, igni non ſubijcit, ſed eum mercedem accepturum pronunciat.

quemque, ſed vniuſcuiuſque opus igne probandum; is verò, cuius opus aureum reperietur, mercedem (inquit Paulus) accipiet: cuius autem opus reperietur ſtipula, is quidem ſaluabitur, ſed per ignem.

Eſt etiam hæc ſententia melior cæteris: quia qui per opus intelligunt operantem; & omne opus, id eſt, omnem operantem, ſubijciunt vel igni Purgatorio, vel igni conflagrationis: hi, vel omnino falſum dicunt, vt Origenes; & alij, de quibus in prima ſententia (qui omnem operantem, etiam eum, cuius opera fuerint aurea, in ignem Purgatorium conijciunt) vel vim inferunt textui, vt facit ſecunda & tertia ſententia, ita ſcilicet ſubijcientes operantem aureum opus, Igni purgatorio, ſeu Igni conflagrationis: vt illum Igni illi reuera non ſubijciant: ſed potiùs eximant: & tamen Paulus, ita illi igni, qui opus probat, omne opus ſubijcit: vt reuera nullum opus ab illo igne probante, velit exemptum.

NB. S. Paulus omne opus, etiam aureum ſubijcit igni examinanti: quia omne opus rigidè examinabitur, at is ſolus operans, igne punietur, cuius opus repertum eſt ſtipula.

Neque verò hæc ſententia, quæ per ignem omne opus probantem, Iudicium Dei (à quo nullius opus accipitur) intelligit; aliam patitur difficultatem: quam quòd nomen ignis, Ter in textu poſitum; non in eadem ſignificatione, ſed in triplici accipiat. Primo enim per Ignē, in quo collucebit diēs Domini: Ignem conflagrationis intelligit. Secundo per Ignem, qui omne opus examinabit; aurea approbando, lignea reijciendo: ſeuerùm Iudicium Dei intelligit. Tertio per Ignem, quo punietur is, cuius opus in examine repertum fuerit ſtipula: Ignem Purgatorij intelligit. Sed hæc vocis varietas, quà ex vna ſignificatione vocis, tranſitur ad aliam; & eſt frequentiſsima apud Chriſtum & Paulum; & in ea non eſt vitium, ſed elegantia & emphaſis. Sic Chri-

NB. Elegans artificium Chriſti & Pauli.

Chriſtus Ioan. 4. à potu aquæ materialis, tranſit ad potum aquæ diuinæ gratiæ, dicens Samaritanæ: *ſi ſcires, quis tibi dicit: da mihi bibere: tu petijſſes ab eo, & dediſſet tibi aquam viuam.* Similiter Ioan. 13. à lotione pedum materiali, quam Petrus recuſauerat, dicens: *Non lauabis mihi pedes, &c.* Chriſtus cum quadam gratia tranſit ad lotionem Spiritualem, *Niſi*, inquit, *lauero te &c.* qui enim Spirituali lotione, ſeu Chriſti Sanguine, non abluitur: non poteſt habere partem cum Chriſto.

Cæterum illa ablutio materialis, nec erat neceſſario ad ſalutem; nec eſt veriſimile, quod Chriſtus voluerit à ſe excluſum Petrum; quia ex merâ reuerentiâ in ſuum magiſtrum, detrectaret materialem illam pedum lotionem: ſed vt Petrus hanc admitteret: Chriſtus ab illa, quæ non erat neceſſaria, tranſijt ad neceſſitatem lotionis ſpiritualis; in quâ deinde perrexit, dicens: *Qui eſt lotus, non indiget, niſi vt pedes lauet, ſed eſt mundus totus: Et vos mundi eſtis, ſed non omnes: Sciebat enim: quiſnam eſſet, qui traderet eum.* Sic ergo perrexit Chriſtus in lotione Spirituali: neque enim vllo modo eſt veriſimile, quod Chriſtus voluerit dicere, tunc omnes Apoſtolos, excepto Iuda, fuiſſe in balneo, ibique ſe totos lauiſſe, & inde exeuntes, pedes infeciſſe, qui lotione illa materiali egerent. Vide Ianſen. & Maldon. in illum locum. Sic etiam Matt. 8. v. 22. *Dimitte*, dicens, *mortuos, ſepelire mortuos*, tranſit Chriſtus ab vna ſignificatione mortui ad aliam: 1. à mortuis Spiritu, ad mortuos corpore, ſicut Paulus, ab vna ſignificatione peccati ad aliam. 2. Cor. 5. v. vltimo, *Eum, qui non nouerat peccatum, pro nobis peccatũ*, (id eſt, victimã piacularẽ) *fecit.* & ad

Digitized by Google

ad Rō.8.v.3. *de peccato, dānauit peccatū.* Et eiuſmodi plurima. Sic igitur Paulus in pręſēti loco: ab igne cōflagrationis, (quo quia collucebit dies Domini, vnde D. Paulus probat: omnia, illa die manifeſtanda) tranſit ad ignem ſeueri Iudicij; quo dicit: cuiuslibet opus ſeuerè probandum: fueritne aureum, an ſtipula; & ab illo Igne ſeueri Iudicij, tranſit ad Ignem Purgatorium: quo dicit puniendum hominem, cuius opus, per ſeuerum iudicium diuinum, detectum fuerit: fuiſſe ſtipulam.

Sed quęcunque tandem ex adductis interpretationibus huius loci; quarum vna, per ignem, probantem omne opus, intelligit Ignem Purgatorij; alia ignem conflagrationis; alia ſeuerum Iudicium Dei; quæcunque, inquam, ex ijs, ſit verior, in eo conueniunt omnes dictæ ſententiæ: D. Paulum velle, in die Domini, cuiuslibet opus probandum; &, cuius fuerit repertum eſſe aurum: eum mercedem accepturum; cuius ſtipula; eius autorem, ſaluandum quidem: ſed prius punitum.

Itaque tota difficultas, eſt tantum de Igne examinante, & probante opus: de Igne verò caſtigante eum, cuius opus detectum eſt ſtipula; nulla poteſt amplius eſſe difficultas, niſi affectanti cæcitatem.

Et diuinitus accidit, vt cùm de examine operis agitur; Paulus continuò vtatur tropo, qui vel in voce *Operis*, vel in voce *Ignis* latet; quo tropo, tota illa de examine oratio obſcuratur. Quando vero agitur de *operante* illo, cuius opus eſt *ſtipula* (de quo ſolo controuerſia eſt cum hæreticis: quid nimirum futurum ſit; & quem ſolùm Paulus vnicè intendit; vt ſcilicet benè intelliga-

ligatur; quid ſit futurum de Corinthijs illis prædicatoribus, vanitatem in concionando affectantibus) Paulus, relicto omni tropo, mutanſque modum loquendi, dicit: *Ipſe ſaluus erit*; ſed ad modum rei, quæ purgatur per ignem. neque enim, vt intelligas: hominem futurum ſaluum; vel etiam comburendum: eges tropo, vel metaphorá. Diuino ergo conſilio dixi, factum eſſe: vt D. Paulus ita orationem ſuam inuerteret: quo tenebriones iſti, hominem (qui facto examine Chriſti Iudicis, ſit ſaluandus; prius tamen aduſtus) non agnoſcentes: claritate textus propoſita, cœcitatis affectatæ conuincerentur.

Atque hinc patet: quam vana ſit ſecunda obiectio Kemnitij, nitentis tenebras luci offundere (eſt enim hoc tenebrionum proprium: vt quicquid obſcuritatis reperire poſſunt, corradant: quo ei, quod clariſsimum eſt, tenebras offundant) ait enim: In toto textu, eſt metaphora obſcurans ſermonem: ergo etiam in illis vltimis verbis: *ipſe autem ſaluus erit*. Vana & futilis obiectio. Nam, quando de operibus agitur, & de igne, circà ipſa aliquid moliente: oratio non poteſt non eſſe metaphorica: quia opera nullius actionis Igneæ, ſunt capacia: at quando oratio mutatur, & expreſsè agitur de operante; quid eges tropo, vt intelligas: Hunc ſaluandum, ſed prius igne punitum?

Quia ergo de Igne ſolo examinante, patefaciente & probante opus, eſt difficultas; non de igne puniente hominem vanum: inde eſt, quòd cùm SS. PP. in exponendo igne examinante opus, ſint tam varij, vt vidimus: in exponendo tamen igne excruciante illum, cuius opus fuerit

ſtipulas,

ſtipula, communi conſenſu intelligant Ignem Purgatorij.

Baſilius in cap. 1. Iſaiæ: Si, igitur, inquit, per confeſsionem detexerimus peccatum: iam ſuccreſcens gramen (alludit ad ſtipulam Corinthiam) arefecimus: dignum planè, quod depaſcat ac deuoret Ignis Purgatorius. Et infra: Non omnimodam internecionem & exterminium comminatur; ſed innuit expurgationem, iuxta Apoſtoli ſententiam: *Ipſe autem ſaluus erit, quaſi per ignem.*

S. Ambroſ. in hunc locum Pauli: ſed cùm, inquit, D. Paulus dicit; *Sic tamen quaſi per ignem*; oſtendit quidem, illum ſaluum futurum: ſed pœnas Ignis paſſurum; vt per Ignem fiat ſaluus: & non ſicut perfidi, æterno igne in perpetuum torqueatur.

S. Auguſt. homil. 16. Qui temporalibus pœnis digna geſſerunt, per Ignem quidem Purgatorium tranſibunt, de quo Apoſtolus ait: *Saluus erit, ſic tamen quaſi per Ignem*; & in Pſalm. 37. *Neque in irâ tuâ corripias me*: vt in hac vita purges me, & talem me reddas, cui iam emendatorio Igne opus non ſit, propter illos qui ſalui erunt, ſic tamen quaſi per Ignem; Et infra: Quia dicitur (ſcilicet 1. Cor. 3. quem locum ibi Auguſt. explicat) *Saluus erit*; ille ignis contemnitur; grauior tamen erit ille Ignis, quàm quicquid homo poteſt pati in hac vitâ.

NB. Quam falsè dicant nonnulli, Auguſtinum nullibi expreſſè aſſerere Purgatorium &c.

Atque ad hunc textum D. Pauli, cæteri omnes aſpiciunt SS. PP. quando de Igne Purgatorio vitæ alterius loquuntur, vt Greg. Niſſenus in orat. pro mortuis, Nõ poterit, inquit, Spiritus à corpore egreſſus, diuinitatis particeps fieri, niſi maculas animo immixtas, Purgatorius ignis ab-

Digitized by Google

ſtulerit. S. Gregor. Nazianz. Oratione in Sancta lumina; In altero ſæculo igne baptizabuntur, qui poſtremus eſt baptiſmus, & vitij leuitatem abſumit, alludit ad fœnum, & ſtipulam. Talia etiam habent S. Cyprian. lib. 4. Epiſt. 2. Origen. homil. 6. in Exod. 5. Euſebius Emiſs. homil. 3. in Epiphaniam. Hilarius in pſalm. 118. Hieronymus lib. 1. cont. Pelagianos, & in fine Commentarij in Iſaiam; & cæteri, quos breuitatis cauſa non cito, fueruntque omnes ante quingenteſimum Chriſti annum, quo tempore etiam ipſi Aduerſarij dicunt: veram Eccleſiam fuiſſe.

CAPVT III.

Soluuntur quædam Obiectiones.

OBIICIES 1. D. Chryſoſtomus in hunc locum Pauli, ignem punientem, interpretatur eſſe ipſum Ignem inferni, qui damnatos cruciat, ſaluâ ipſorum ſubſtantia. Sed hæc interpretatio planè non conuenit textui: loquitur enim Paulus de Igne; per quem is, qui tranſit, fit ſaluus; at per Ignem inferni nullus damnatus fit ſaluus; nec per ignem inferni tranſitur, ſed in illo eſt æterna permanſio. Præterea S. Paulus loquitur de ijs, qui Chriſto, fundamento retento, vanitatem aliquam dicendo, ſunt aucupati: at cum his infernus nihil habet.

Obijcies 2. D. Auguſt. in Enchirid. cap. 68. & lib. de fide, & operibus, cap. 15. Ignem iſtum Pauli interpretatur eſſe afflictionem, quã quis in hoc mundo patitur propter bonorum tempora-

poralium amiſsionem. Reſpondetur: non eſſe alienum à Sacris Scripturis, vt tribulatio huius mundi vocetur ignis; quo in hac vita adusti varij ſaluantur: ne in alia crucientur. At prior illa interpretatio Auguſtini, allata ſupra ex tot Auguſt. locis; cõuenit textui præſenti in ſenſu literali; hæc verò poſterior, tantùm in ſenſu quodam accommodatitio: In ſenſu enim literali rigoroſo, qui dogma fidei ſtabiliat: nullo modo habet locum. Agitur enim hic de Igne puniente hominem, poſtquam in die illa; (quæ ſcilicet Chriſti Domini Iudicis eſt) examinatum fuerit opus cuiuſque; agiturque de tempore, quo, peracto omnium noſtrorum operum examine; & reperto opere, vel ſolido, vel vano: illius autor mercedem accipiat; huius vero autor, ſaluetur quidem, ſed tranſiens per ignem.

Sed hæc non habent locum, niſi in die, quo quiſque Chriſto Iudici ſiſtetur, ſiue iudicij particularis, ſiue iudicij vniuerſalis: de tali enim die certo definito, critico, operũ noſtrorũ peremptorio, loquitur textus, qui Græce habet articulũ ἡ ἡμέρα, id eſt, illa dies; ſicut & 2. *ad Timoth.* 4. v. 8. *Quam reddet mihi Dominus in illa die.* & 2. *ad Timoth.* 1. v. 12. *Certus ſum; quia potens eſt, depoſitum meũ ſeruare in illum diem.* Et Paulo inf. *Det ei Dominus, miſericordiam inuenire in illa die.* Atque, vt hunc diem, tanquam omnino particularem, Paulus exactius notet, addit; *Qui in igne reuelabitur,* 1. Corint. 13. qui character, eſt propriiſsimus diei Chriſti Iudicis aduenientis ad iudicium, vt patet 2. ad Theſſal. 1. & alijs locis ſuprà de igne conflagrationis allatis.

Quare, quæ hic dicuntur, de opere patefaciendo, cuiuſque hominis, & mercede ſolidi ope-

ris; cuique danda, ac demum de puniendo (cùm ſpe tamen certa ſalutis) eo, cuius opus repertum fuerit ſtipula; hæc omnia, ad vitę huius decurſum, ſæculique, accommodari prorſus non poſſunt: ſed tantùm ad futurum iudicium, ſiue particulare, ſiue vniuerſale. Vnde, non de tribulatione aliqua, ſeu afflictione, quæ in decurſu huius vitæ contingat; ſed, quæ in die illa Domini continget, eſt ſermo; quando nimirum, peracto examine omnium operum noſtrorum, vnuſquiſque vel operum ſuorum mercedem accipiet, vel mulctabitur.

Obijcies vltimo, ex Caluino, Petro Martyre, Ochino, Kemnitio; per *diem Domini*, & *ignem*, in quo reuelabitur, intelligi illuſtrationem mentis ex verbo Dei, quo quiſpiam conuertitur; & præcipuè in hora mortis: qua illuſtratione, dū quis intelligit dogmata à ſe docta, fuiſſe fœnū & ſtipulā, quę ſcilicet teſtimonio verbi Dei careāt: inde sētit pudorē & cōfuſionē, quòd deceptus, ea vana dogmata ſibi ante perſuaſerit: atque per hāc cōfuſionē illuminatus, & purgatus, fit ſaluus.

NB. Ideo Hæretici, relicta Traditione, ad ſolam Sacram Scripturam appellāt, vt eam pro ſuo libito nequiter torqueāt, &c.

Addit Martyr: ſe non dubitare, quin B. Bernardus, Franciſcus, Dominicus, & alij PP. hoc modo ſalui facti ſint; quia ſcilicet in morte à Deo illuſtrati, intellexerunt & damnauerunt dogmata ſua vana, de monachatu, miſſa, &c. Interpretatio ſanè indigna, quæ confutetur ab homine vel mediocriter docto; tum, quia nimis manifeſtè ex mera nequitia ficta (tantum enim abeſt, vt iſti viri de monachatu doluerint; vt potius ſuis in extremo vitæ ſemper commendauerint perſeuerantiam in monaſterio, ſicut patet ex Scriptoribus, finem vitæ illorum deſcribentibus) tùm, quia illuſtratio verbi Dei, eſt

ignis

Digitized by Google

ignis miſericorditer illuminans; at D. Paulus loquitur de Igne vlciſcente vanitatem, & faſtū affectatum Corinthiorum in docendo; & non, qui liberet ab errore, quem quiſpiam falſa dogmata docendo committat. Tum denique, ne in re prorſus futili tempus teram; S. Paulus loquitur de vltione futurâ ex opere vano, in die illa, quæ in igne reuelabitur: quâ ſcilicet Chriſtus Iudex aduenien, rigidè diſquiret, examinabit, & manifeſtiſsimè patefaciet, opus cuiuſq; hominis: vt illud, peracto examine, vel mercede afficiat, vel mulctet.

Hæc omnia, ex dictis, ad oculum patent; & cõuincunt, D. Paulum non loqui de re, quæ nobis in hac vitâ contingat: niſi velis dicere, nos iudicari, & omnia opera noſtra tranſactæ vitæ à Chriſto Iudice examinari, & mercede, vel mulcta affici, antequam moriamur. Confirmatur. Illo tempore, qui ædificarunt ſtipulam, deſcribuntur recepturi mulctam, ignemque ſenſuri, quo alij mercedem operum aureorum recipient; ſed hoc tempus, futurum eſt poſt mortem, peracto iudicio: Ergò & illud.

Quæres. Loquiturne D. Paulus de die Iudicij particularis, an vniuerſalis? Reſpondetur, ex textu manifeſtum eſſe, ipſum loqui de die illo ſingulari, quo quilibet noſtrûm Chriſto Iudici examinandus ſiſtetur: vt detectâ qualitate operis; vel mercedem eius accipiat; vel, ſaluetur quidem, ſed punitus.

Verùm, ſicut apud B. Matthæum & Lucam, exterminium particulare Hieroſolymorum, & vniuerſale totius orbis, ita in vnum compingitur, vt difficillimum ſit diſcernere, de quo ſpeciatim Chriſtus loquatur: quia aliqua de exci-

 dio

dio particulari;aliqua tantum de vniuerſali vera ſunt: &,ſicut etiam alibi,compingitur aduentus Chriſti Iudicis particularis, in fine vitæ; & vniuerſalis; vt idcirco non procliue ſit diſcernere,de quo determinatè loquatur Chriſtus, & Paulus;vt quando dicunt: Aduentum filij hominis futurum,inſtar furis clam, noctu venientis; hoc enim ſolùm de aduentu iudicij particularis videtur verum: ſicut illud tantum de vniuerſali; quod illum præcedent ſigna in ſole, & Lunâ,& terræ motus, & cæt. & ſicut alibi, etiam ex his duobus diebus quaſi in vnum inuolutis,difficillimum eſt, ſe euoluere:ita & hic. Ignis enim ille, in quo dies Domini dicitur reuelandus; videtur character proprius eſſe ſolius Iudicij vniuerſalis ex Pſalm. 96. Ioel. 2. 2. ad Theſſal. 1. E contrario autem, punitio illa, qua quiſpiam, detecto opere vano, punitur, antequam ſaluetur: punitio inquam illa, plerunque non in diem vniuerſalis Iudicij cadit; licet cadere poſsit;vt ex Anſelmo, Haymone & alijs explicuimus,quod ſcilicet, qui illo die non reperientur purgati; Igne conflagrationis purgabuntur.

De alterutro ergò ad minimum loquitur D. Paulus; vel etiam de vtroque: quia nimirum, quod in vno fit particulariter; in altero fit vniuerſaliter,in vtroque enim illuminantur abſcôdita tenebrarum:in vtroque patebit vniuſcuiuſque opus;in vtroque mercedem accipiet,qui ſolidum opus habuerit; & in neutro ſaluabitur, niſi prius purgatus,qui tunc vanus fuerit repertus. Hoc ſolùm erit diſcrimen; quod in vniuerſali Iudicio (regulariter) ſaluabitur vt is, qui peracto in fine vitæ examine particulari operum,

rum, iam per ignem tranſiuit, in particulari verò non ſaluabitur; niſi prius per ignem tranſeat.

CAPVT IV.

Ex 2. Machabæorum, cap. 12. & 1. ad Corinthios 15. atque ex inſtinctu totius naturæ humanæ demonſtratur: Purgatorium eſſe.

SECVNDÒ, reperiri locum, Purgatorium à nobis vocari ſolitum, in quo animabus mortuorum exiſtentibus, noſtris precibus prodeſſe poſſimus; conuincitur ex 2. Machab. 12. vbi ſic habetur v. vltimo. *Sancta ergo & ſalubris eſt cogitatio, pro defunctis exorare; vt à peccatis ſoluantur.* Et paulo ante v. 43. & 44. *Miſit* (Iudas Machabæus, qui tantæ authoritatis apud ſuos fuit, vt 1. Machabæorum 4. inſtituerit feſtum Encæniorum, quod adhuc tempore Chriſti celebrabatur; quod etiam feſtũ Chriſtus propria præſentia cohoneſtauit. Iohan. 10. vide Ianſenium ibid.) *Hieroſolymam, offerri ſacrificium pro peccatis mortuorum; benè, & religioſè de reſurrectione cogitans; niſi enim eos, qui ceciderant, reſurrecturos ſperaret, ſuperfluum videretur, & vanum, orare pro mortuis*, hæc ibi.

Tam expreſsis verbis Lutherus & Caluinus, non aliter reſpondere poſſunt, quam negando hunc Librum eſſe Canonicum. Et Caluin. quidem lib. 3. Inſt. cap. 5. §. 8. ſic habet: Quod ex Machabæorum hiſtoria proferunt de Iuda Machabæo, reſponſione non dignabor; ne opus illud videar in Sacrorũ librorum Catalogum referre;

ferre, quanquam Auguſtinus pro Canonico referat. Hæc Caluinus.

NB. Auguſtinus lib. 18. De Ciuit. cap. 38: Machabæorum (inquit) libros non Iudæi, ſed Eccleſia pro Canonicis habet Cur autem liber Machabæorum ſicut & Eccleſiaſticus, & alij non nulli non ſint in Canone Hebræorum, non eſt mirum; quia ex Ioſepho lib. 1. Contra Appionem, & Genebrardo, Canon ille compoſitus fuit in Synodo Magna temporibus Eſdræ: at enumerati libri primo poſtea fuerunt conſcripti.

At, non ſolus Auguſtinus, ſed Eccleſia, teſte Auguſt. lib. 18. de Ciuit. c. 38. hos libros pro Canonicis habet. Verùm, nec librum Sacrum, nec Eccleſiam, Caluinus reſponſo dignatur; quia ſcilicet nil habet, quod tam claro textui reſpondeat, vnde ex malitia reſponſionem declinat.

Sed demus erraſſe Auguſt. lib. 2. de doctrina Chriſtiana cap. 8. & lib. 18. Ciuit. cap. 38. & Hieronymum in prologo Machabæorum, & Cyprianum, lib. 1. Epiſt. 3. ad Cornelium, Iſidorum lib. 6. Etymol. hos libros, Scripturam diuinam appellantes; demus etiam errare Eccleſiam, eos libros, vt Sacram hiſtoriam ante mille, & amplius annos (quod conſtat ex Auguſt. & Leone in natali SS. Machabæorum) in Sacris officijs legentem; demus, inquam, hos erraſſe; atque huic libro, non vt Sacro, ſed vt prophano tantum, veluti Liuio fidem eſſe dandam: certè ex illo patet: apud Hebræos (& quidem apud ſupremos eorum) ante mille & ſeptingentos annos conſtitiſſe pro re tam certâ, rectè, imo ſanctè, & ſalubriter orari pro defunctis: vt hoc, pro re conſtanti poſito, inde Author libri Machab. loco ſupra citato intulerit, reſurrectionem corporum ſeu immortalitatem noſtrorum animorum. Apud Hebræos namque (quod optimè aduertit Bellarminus) eadem fuit quæſtio de Reſurrectione, & immortalitate animorum: vnde, qui negabant vnum, negabant vtrunque: vt Sadducæi: qui autem fatebantur vnum, fatebantur vtrunque; vt Phariſæi, Actorum 23. Nec verò ſine ratione: cùm enim anima, ſit forma

ma

ma corporis, violentum illi eſſet, æternum manere ſuperſtitem, & nunquam iterum vniri cũ corpore. Hinc Chriſtus probaturus Sadducæis Reſurrectionem mortuorum, vtitur illo Scripturæ teſtimonio, Ego ſum DEVS Abraham, DEVS Iſaac: Subiungitque Marci 12. 27. *at non Deus mortuorum, ſed viuentium.* Ex his Chriſtus voluit concludere ibi, fore reſurrectionẽ mortuorum; quæ concluſio non valet, niſi ſupponatur, difficultatem de Immortalitate animorum & Reſurrectione corporum, vnam & eandem eſſe. Alioquin enim, quis dicet, vt DEVS ſe dicat DEVM Abraham, Iſaac, viuentium; ſufficit, illorum animas non eſſe extinctas; ſed eſſe alicubi ſuperſtites, licet corpori non amplius vniantur.

Iam verò, idem prorſus argumentum, quod fecit author lib. Machab. (hoc eſt: Si mortui non reſurgent; ſeu, ſi animus poſt ſeparationem à corpore, non manet ſuperſtes: vanum eſſe orare pro mortuis) idem, inquam, omnino argumentum fecit D. Paulus, 1. ad Corinth. 15. 19. ita, vt illud planè ex 2. Machab. ſumpſiſſe videatur. Atque eodem modo, quo ille Author, difficultatem de Immortalitate animorum, ab ea, quæ eſt de Reſurrectione corporum, non diſtinguens Paulus ait: *Si omnino mortui non reſurgunt,* (ſeu, ſi omnino animæ extinguuntur) *quid facient, qui baptizantur pro mortuis?* id eſt, quàm turpiter decipiuntur, qui genus aliquod afflictionis vel pœnitentiæ ſuſcipiunt, in auxilium mortuorum?

Nota verò 1. particulam illam Pauli, *omnino,* innuere, hoc argumentum adhiberi à Paulo, tãquam Achillem, & ſummam vim, ad conuin-

cendum aduerſarium, negantem Animæ immortalitatem, ſeu Reſurrectionem Corporum. Debet ergò, medium, quo ad hoc concludendum Paulus vtitur, eiuſmodi eſſe: quod aduerſarius nulla ratione ſubterfugere poſsit.

Nota 2. medium eſſe, *Baptizari pro mortuis*. ſignificatur autem per Baptiſmum, aliquod pœnitentiæ genus, quodcunque tandem illud ſit. Quod enim hoc loco *Baptiſmi vox*, non poſsit accipi pro Sacramento Baptiſmi, oſtendunt pręclarè Bellarminus & Soarez, de Purgatorio diſputantes: & Vaſquez agens de Baptiſmo. Sumitur ergo, vt alibi in Scripturis, vel pro Baptiſmo lachrymarum, vel pro afflictione, vt Lucæ 12. v. 50. dicitur, *Baptiſmo habeo baptiZari*: & Marci 10. v. 38. *Poteſtis bibere calicem, quem ego bibiturus ſum? & baptiſmo, quo ego baptizor, baptizari?* Vel certè, ſumitur pro lauacris: quod quidem, vt olim apud Iudæos, ita & nunc apud eoſdem, & apud Mahomætanos etiam, eſt pœnitentię genus. Sed, quodcunq; tandem ſit illud pœnitentiæ genus vocatū à D. Paulo *Baptiſmi* vel lauacri nomine; certè argumentum Iudæ Machabæi & Pauli, eſt prorſus idem; eſtque hoc, Aliquid nimirum, ſiue ſacrificij, ſiue pœnitentiæ, ſiue alicuius alterius ritus, non vane & ridiculè ab hominibus peragi; vt licèt aliqui homines errent, hoc vel illud particulare exercendo, puta v.g. lauando ſe, pro defunctorum ſalute &c. non errent tamen in eo, quod putent aliquid (quidquid demum illud ſit) rectè fieri, pro ſalute defunctorum; ſicut plurimi errant, dum hunc vel illum DEVM colunt; non errat tamen ille inſtinctus naturæ, qui ſuggerit, aliquem DEVM eſſe colendum.

Quod

Quod ſi pro defunctorum Salute, ex Pauli Euangelio ſimpliciter nihil deberet fieri: ridere merito poſſet PAVLVM aduerſarius, & dicere: Tandem non eſt, ex quo tanta vi reſurrectionem, ſeu animi immortalitatem omnino concludere velis: quia ſcilicet aliquid fiat pro ſalute mortuorum; Scimus enim ex tua lege; quicquid fit pro illorum ſalute, nihil rectè fieri; & proinde, æquè errant, qui putant: mortuos reſurrecturos; ac qui putant: pro illorum ſalute, rectè aliquid fieri.

Iam verò, ſi ex hoc fundamento, tanquam irrefragabili, & euidenti; Quòd ſcilicet abſolutè aliquid rectè fiat pro ſalute defunctorũ; (quodcunque iam illud ſit) PAVLVS, & author Libri Machabæorum, omnino inferunt: Ergo animi defunctorum ſunt ſuperſtites, denuò vniendi corporibus. Alioquin illud genus pœnitentiæ fruſtra fieret, certè inde multò proximius infertur; Poſſe animas mortuorum aliquo ritûs genere iuuari; alioquin ritûs ille fruſtra fieret. Ergò non datur tantùm Paradiſus, in quo qui ſunt, noſtro auxilio, & baptiſmo non egent; nec tantùm infernus, ex quo *nulla eſt redemptio*; ſed etiam datur locus, in quo qui ſunt, iuuari poſſunt: quemque nos *Purgatorium* vocamus, &c.

Nota 3: Licèt Paulus dicere potuiſſet: vt quid & *baptizamur*? ſeu, vt quid aliquod genus pœnitentiæ ſubimus pro mortuis, ſi illorum animæ non ſunt ſuperſtites? tamen, vt premeret aduerſarium, tanquam re illius, dicit: vt quid & baptizantur pro illis? Neque inſolitum eſt alibi Paulo: vt adſcribat alijs, quod etiam ſibi eſt commune. Sed, quia quod idem

vel

idem vel ſimile, commune eſt Paulo, & alijs, id Iudæo, & Gentili, inimicis Chriſti, eſt exoſum; ideò S. Paulus illud medium, vt quid; quod aduerſarij ſit, aſſumit: vt habeat maiorem vim illum premendi.

Nota 4. Omne genus hominum eſt ſollicitum pro mortuis, & paratum pręſtare aliquid ad eos iuuandos. Iudęi, vt patet ex citato loco Machabæorum; & ex Ioſepho lib. de bello Iudaico Cap. 91. Turcæ, qui frequentiſsimi ſunt in lauacris, putantes lotione ſua iuuari animas mortuorum; & vti in Alcorano eorum reperitur: diſertè, Purgatorium dari, confitentur. Ethnici quoq; vt patet ex Platone in Gorgia, & in Phœdone, & ex Cicerone, in ſomnio Scipionis, & alijs. Quid? ipſimet Hæretici, contra quos agimus, natura cogente, ſuis mortuis bene precantur; & pro illis orant. Cur? ne in ſuos defunctos videantur magis impij, quàm Gentiles, Turcæ, & Iudæi.

NB. Hæretici non poſſunt extinguere inſtinctum naturæ, nec volunt videri magis impij in ſuos defunctos, quam Iudæi, Turcæ, & Gentiles, & ideò etiam ipſi pro ſuis defunctis aliquando orant.

Sicut ergo ex inſtinctu illo naturæ (quo omne genus hominum ſollicitum eſt de alterâ vitâ, & quo impellente, in ſuis neceſsitatibus aliquod numen inuocat) omnes ſenſati Philoſophi, habentes aliquem ſenſum naturæ humanæ, ſemper intulerunt, dari aliam vitam, & aliquem DEVM nobis auxiliantem: quia inſtinctus naturæ, in totâ ſpecie nunquam eſt fruſtra (nam licet natura erret in vno aut altero particulari alicuius ſpeciei; in totâ tamen ſpecie, nunquam aberrat, nec fruſtra mouetur.) eo autem ipſo, quod omne genus hominum ſollicitum eſt de alterâ vitâ, & de aliquo DEO: id, neceſſariò eſt à naturâ, ſeu, ex inſtinctu naturæ: quod enim eſt apud omnes, id eſt à natura, ex Ariſt. 1. Periherm.

Digitized by Google

herm. 1. Sicut ergò, inquam, ex inſtinctu naturæ, illo nimirum, quo omnes ſunt ſolliciti de aliâ quadam vitâ, & de aliquo numine, cùm inſtinctus ille naturæ, non ſit fruſtrà: ſolidiſsimè infertur: dari aliam vitam, & dari DEVM noſtrum auxiliatorem. Nec impij, & Athei, aliud quidquam ad hoc negandum habent, quod reſpondeant, quàm, quòd homines, ex quodam affectu humano, vt nimirum, ſe ipſos conſolentur: talia de vitâ futurâ & DEO cogitent. Ita ex eadem ſchola impietatis & atheiſmi, negãtis DEVM, & omnia alterius vitæ, Caluinus cum ſuis reſpondet, illam ſollicitudinem, quâ omne genus hominum ſuis mortuis benè precatur, & pro eis orat, naſci ex quodam affectu humano, quo viui ſeipſos conſolantur.

NB. Simili impietate qua hæreticus dicit: nos à Gentibus accepiſſe vt aliquid in auxilium defunctorũ præſtemus, Simili inquam impietate Athæus dicit: nos à Gentibus accepiſſe, quod aliquẽ Deũ colamus. quod enim nobis & Gentibus ex inſtinctu ipſo naturæ eſt commune; id impius dicit, nos mutuo accepiſſe à Gentibus; Porro ille inſtinctus benè precandi defunctis, naſcitur tum ex inſtinctu immortalitatis animorum, à nobis diſcedentium: tum ex inſtinctu ſtatus eorundem in aliâ vitâ: in quaſcilicet poſſint iuuari.

Quæ reſponſio ex ſchola impietatis eſt ſumpta; valetque æquè ad negandam vitam beatam, infernum, DEVM, & omnia alterius vitæ, ſicut valet, ad negandum Purgatorium, ſeu pœnam alterius vitæ, temporalem.

CAPVT V.

Docetur euidenti ratione aliquos, qui in hac vitâ non puniuntur, puniendos eſſe ad tempus in aliâ.

PVRGATORIVM, ſeu pœnam temporalem in aliâ vitâ dari, etiam ratione probatur. Videmus in hac vitâ multos optimos viros valdè affligi & tribulari; peſsimis verò, omnia

Digitized by Google

feliciter procedere. Sicut ergò, naturâ rationali duce, hinc inferimus; vel DEVM non habere curam rerum noſtrarum; vel, ſi habet, eſtq́ue iuſtus, in aliâ vitâ bonos prœmio ſeu fælicitate æternâ; malos pœna, ſeu inferno ab eo afficiendos eſſe: ita, cùm in hac vitâ multos de peccatis à ſe commiſsis plurimùm dolere videamus, & nihilominus in pœnam peccatorum ſuorum, plurimum hîc pati (ex quo genere fuit Dauid, qui quidem ob adulterium & homicidium lectum ſuum lachrymis rigauit; ſeu, vt textus Hebræus habet, lachrymis natare fecit;) & nihilominus obtinere non potuit, quin, in admiſsi peccati pœnam, filius ei moreretur; regnumq́ue eius aſsiduis motibus, & perturbationibus, poſt admiſſa iſta peccata agitaretur, iuxta illud 2. *Reg.* 12. *non recedet gladius de domo tua vſque in ſempiternum.*) Alios verò videamus, æquè peccatores, ac Dauidem; non æquè tamen dolentes; & multò minus hîc punitos: ita, inquam, æquali neceſſitate inferimus: vt Iuſtitia ſeruetur, hos, qui hic æquè & magis peccant; & hic non æquè puniuntur, nec æquè dolent; puniendos eſſe alibi; nō quidem pœnâ æternâ, ſeu in igne ſine intermiſſione, (quandoquidem de peccatis dolent, licet non tam intensè ac alij, qui minus peccarũt, & magis nihilominus hic ſeipſos puniunt, & etiam à DEO puniuntur) ſed, vt ait B. Paulus ſuprà, per Ignem, ſcilicet ad tempus.]

Nec dicas, Dauidem, & ſimiles illi, punitos tantùm in remedium peccati futuri, ſeu in exercitium virtutis; quia Propheta Nathan expreſſit cur Dauid puniretur 2. *Reg.* 12. *v.* 10. *Non recedet gladius de domo tuâ vſq; in ſempiternum, eò, quod deſpexeris me, & tuleris vxorem Vriæ. & v.* 14. *Quoniam*

NB Ex ſcriptura

niam blaſphemare feciſti inimicos Domini propter Verbum hoc: id eſt, propter ſcelus patratum, *filius, qui natus eſt tibi, morte morietur.* Itaque in vindictam peccati, Dauid illis pœnis eſt punitus; quales pœnas, dum alij (DEO minus chari, quàm Dauid) hic non ſubeunt: proculdubio alibi ſubibunt. Confirmatur, quia DEVS miſericors eſt & iuſtus: quare quemadmodũ vt miſericors, Dauidi errorem agnoſcenti, condonauit peccatum, & pœnam æternam (nam ſimul ac Dauid ad Nathan dixit; *Peccaui*; reſpondit Nathan: *Dominus quoque tranſtulit peccatum tuum*) ita, vt iuſtus, exigit pœnam temporalem; quam, dimiſſo peccato, Nathan Dauidi intimauit, dicens: *Veruntamen, quoniam blaſphemare feciſti inimicos Domini, propter verbum hoc, filius, qui natus eſt tibi, morte morietur.*

clariſſime conſtat aliquos in hac vita affligi in pœnam peccati, non tantum in exercitium virtutis.

DEVS ergo, vt miſericors, condonat quidem Dauidi culpam, & pœnam æternam; ſed, vt iuſtus, reſeruat ſibi pœnam temporalem 2. Reg. 12. & 24. Poſt culpam quoque, quam idem Dauid ex numeratione populi contraxerat, eidem Dauidi condonatam, dat optionem DEVS eligendi vnum è tribus, aut peſtem, aut bellum, aut famem. Et Numer. 12. Maria, ſoror Moyſis, dimiſsâ culpâ murmurationis, luit pœnam lepræ ſeptem diebus. Et cap. 24. Murmuratione populi offenſus DEVS, placatur precibus Moyſis, punit tamen nihilominus populum; nemo enim eorum, niſi Ioſue & Chaleb ingreſſus eſt in terram promiſsionis.

Videmus etiam in humanis: ſæpè offenſos, eſſe paratos remittere offenſam, & renouare amicitiam: petunt tamen nihilominus, ſibi fieri ſatisfactionem; quam etiam diuina prouidentia ipſa,

iure

Digitized by Google

iure exigit maiore; ne facilitas omnimodæ veniæ, occaſio ſit hominibus peccandi, quam, cùm aliqui hic non dent, vel multò minorem dent, quàm Dauid, & alij, Deo gratiſsimi faciant (qui ſæpè, grauiſsimè etiam defleto peccato, adhuc hic grauiter puniuntur) nonne luent pœnas alibi, vt æqualitas ſeruetur?

Confirmatur in prima controuerſia, ex ſcripturis ibi adductis, manifeſtiſsimum eſt: Deum Agnum, remittentem peccata, in hac vita multò eſſe benigniorem, quàm Devm Iudicem in altera vita. Si ergo Devs Agnus, gratis in hac vita remittens peccatum Dauidi, quoad culpam & pœnam æternam; nihilominus ab eodem exigit hic pœnam temporalem; condonabitne illam, vt Iudex?

Certè Auguſtinus, & alij, diuina doctrina illuſtres viri, optimè in Sacris Scripturis animaduerterunt, faciliorem eſſe Agnum ad remittendum omnem pœnam & culpam in hac vita, quã iudicem Chriſtum in altera. Vnde hic potius purgari petierunt, quàm alibi; quod patet, ex Auguſtino ſupra Cap. 2. verſus finem, in Pſalmo 37. & alibi.

Qui ergo peccas, vt Dauid, & hic luges; ſed non vt Dauid; nec hic puniris, vt Dauid; meritò expectare potes punitionem alibi; neque enim es charior Deo Dauide, qui erat ſecundum cor Dei.

CAPVT

CAPVT VI.

Ex ſenſu vniuerſalis Eccleſiæ primitiuæ, (in quâ, vt Caluinus, & cæteri aduerſarij docent, conſtat nihil fuiſſe mutatum in vera Chriſti doctrina) demonſtratur: Purgatorium eſſe. &c.

DENIQVE, efficacius & clarius oſtenditur: dari Purgatorium, ſeu locum, in quo animabus piè dormientium proſint noſtræ orationes; quàm probetur: quatuor Euangelia, Matthæi, Marci, Lucæ, Ioannis, eſſe legitima, & non ſuppoſititia, ſeu apocrypha. Nā hoc poſterius, ſcimus tantum ex eo, quòd continua ſucceſsione temporum ſemper ex ſenſu Eccleſię pro talibus fuerint agnita: at priùs, dari ſcimus ex ſenſu totius naturæ rationalis, & ex Scripturis expreſsis; (vt hactenus demonſtraui) & præterea, quia ab Apoſtolorum temporibus per cōtinuam temporum ſucceſsionem, ſenſu Eccleſiæ vniuerſalis, laudata fuit oratio pro defunctis, *qui autem Eccleſiam non audierit: ſit tibi ſicut Ethnicus & publicanus.* Mat. 18. v. 17.

Quando hoc argumento, in dogmatibus noſtro tempore controuerſis, premuntur hæretici: reſpondent Auguſtinū, & cæteros Patres, quingentis primis poſt Chriſtū annis, iure potuiſſe contra hæreticos illorum temporū, ſucceſſionem doctrinę ab Apoſtolis acceptę, & continua ſucceſsione in Eccleſia propagatę, vrgere: cū tunc, (inquit Caluin, lib. 4. inſtit. cap. 2. §. 3.) extrà controuerſiā fuerit, nihil à principio vſq; ad illā ætatē, mutatū fuiſſe in doctrina; & cōcludens, ait: Nō eſt cur fucū amplius facere pergāt,

ex Eccleſiæ nomine; quia fœtidam meretricem ſubſtituunt,pro Sacra Chriſti Sponſa.

Ex eodem fonte, Antonius Sadael Caluiniſta Gallus,ad voces Catholicorum,dogmata ſua ex continua ſucceſsione in Eccleſia propagata vrgẽtiũ,reſpondet: Auguſtinus,inquit, qui & Manichæis & Donatiſtis, ſæpè hanc, de qua agimus, ſucceſsionem oppoſuit, apertè docuit: ſe de ea Eccleſia loqui,quę doctrinæ puritatem ab Apoſtolis acceptam conſtanter retinet. Et poſt vnũ folium,vel amplius,ita habet: Longè, longè boni illi Patres (ſcilicet Tertullianus, Auguſtinus; & alij ab ipſo paulè ante enumerati) aberant ab hac malorum abyſſo,in quam poſtea Chriſtianũ orbem, hominũ perfidia demerſit. Illis licebat, ſtante adhuc Eccleſia, ſucceſsionem fidei iactare,ſuas oſtentare diuitias, ſua ornamenta celebrare. Et VVittakerus Caluiniſta Anglus, controu.2. q.5. cap. 4. Licet,inquit,non ante Gregorij tempora;tamen poſtea,interruptam fuiſſe doctrinæ ſucceſsionem,conſtat.

Similia reſpondent omnes cæteri Caluiniſtæ, & Lutherani ad Auguſtinum & cæteros antiquiſsimos Patres, in dogmatibus fidei controuerſis, iugulum hæreticorum ſui temporis, gladio ſenſus vniuerſalis Eccleſiæ,& continuæ ſucceſsionis doctrinæ,ab Apoſtolis acceptę, petentes.

NB. Hic aduerſarij proprio gladio penè tus iugulantur.

Vel ergò tempore Tertulliani & Auguſtini, cæterorumque illius ætatis Patrum, ſtetit vera Eccleſia: (in qua, vt ait Caluinus citatus: extrà controuerſiam eſſet: nihil à principio vſq; ad illorum Patrum ætatem mutatum fuiſſe in doctrina) vel non ſtetit. Si non ſtetit,ergo nec ipſi, nec vlli alij etiam illis primis temporibus, ex

tra-

traditione, & ſucceſsione, aduerſarios ſuos vrgere poterant; ſi autẽ ſtetit: ergo pro defunctorũ ſalute, preces & Sacrificia iure fiunt: quia ita ſentit Eccleſia illorum primorum temporum, vniuerſa. Ex Auguſtino *ſerm. 32. de verb. Apoſtoli:* Orationibus vero Sanctæ Eccleſiæ, & Sacrificio ſalutari, non eſt dubium mortuos adiuuari: hoc enim à Patribus traditum, Vniuerſa obſeruat Eccleſia. Nonne ea, quæ tempore Auguſtini fuit? quando ex Caluini doctrina, extra controuerſiam erat, nihil eo vſq; in doctrina fuiſſe mutatum?

Et idem Auguſt. *lib. de cura pro mortuis, cap. 2.* ita: in Machabæorum libro legimus; oblatum pro mortuis Sacrificium. Sed, etſi nuſquã in Scripturis veteribus legeretur: non parua eſt (imò maxima; nam alioquin, nec ſciremus: quæ eſſent Euangelia legitima) vniuerſæ Eccleſiæ authoritas; vbi in precibus Sacerdotis, quæ Domino Deo, ad eius altare fundũtur, locũ ſuũ habet etiam commendatio mortuorum. *Et cap.* 4. Nõ sũt præmittendę ſupplicationes pro Spiritibus mortuorũ: quas faciendas pro omnibus, in Catholica ſocietate defunctis, ſuſcipit Eccleſia; vt quibus ad iſta deſunt parentes, aut filij, aut quicunque cognati, vel amici: ab vna eis exhibeatur pia matre communi. Eſtne, obſecro, pia iſta mater, fœtida illa meretrix, ſubſtituta pro ſacra Chriſti Sponſa.

Tertullianus verò, ducentis annis Auguſtino anterior, in lib. de corona militis, ponit ſuffragia pro defũctis, inter Traditiones Apoſtolicas. Chryſoſtomus quoq; prior Auguſtino homil. 69. ad populum Antiochen. Nõ temerè, inquit, ab Apoſtolis hæc ſancita fuerũt, vt in tremendis

myſterijs,agatur cõmemoratio defunctorũ. Et homilia 3. *in Epiſt. ad Philip.* Non fruſtra ab Apoſtolis ſancitum:vt in celebratione venerandorum myſteriorum,memoria fieret eorum , qui hinc diſceſſerunt.

Et S. Dionyſ. (quem antiquiſsimum fuiſſe, conuincit noſter Gretſerus 1.to.cõtrouerſ.c.7.) de cœleſti hierarchia p. 3. deſcribit ritũ ipſum orandi pro defunctis,qui tunc in vſu fuit: Accedens,inquit,deinde venerandus Antiſtes,precem ſacrã ſupra mortuũ peragit: precatur oratione illa diuinã clementiã,vt cũcta dimittat, per infirmitatem humanam admiſſa peccata defuncto,eũq; in luce ſtatuat,& regione viuorũ. Qua etiã forma orãdi,in hodiernũ diẽ vtitur Eccleſia Romana. Vnde,cõuinceris etiã: huius orationis & ritus autorẽ, nõ fuiſſe meretricem fœtidam: ſed ſanctã illã ſponſam:quæ floruit eo tempore, quo boni illi Patres,iure,vt ait,vrgebant Traditionem,& doctrinã Apoſtolicam per ſucceſsionẽ cõtinuã ad eos propagatã. Atq; iſti boni PP. (ſcilicet Epiph. *hæreſi.* 76. & Aug. *lib. de hæreſib.* c. 53.)ponũt Aeriũ in numero hæreticorũ:quod negaret rectè fieri orationes pro mortuis.

NB. Quales Næui in SS. Patribus aliquando reperiantur.

Nec eſt, quod dicas:etiã in S. Patribus repeperiuntur næui. Si enim quiſpiam næuus , aut error in aliquo eſt: is proprius vnius aut alterius eſt; cæteris contrariũ docentibus: non eſt autem communis omnibus,& ex authoritate , & ſenſu vniuerſæ Eccleſiæ loquentibus. At Purgatorium,& preces pro defunctis , ſemper & ex ſenſu,& authoritate vniuerſæ Eccleſiæ omnes docuerunt:nec vllus,qui habitus eſt Sanctus,his precibus contradixit,etiam in primitiua Eccleſia,vnde hic non eſt quod de aliquo næuo vllo modo ſuſpiceris.

His

Digitized by Google

His Caluinus lib. 3. cap. 5. §. 16. ſic reſpondet. *Cùm mihi obÿciunt*, inquit, *Aduerſarÿ: ante mille & trecentos annos*, (cur non dicis etiam à tempore Apoſtolorum;) *vſu receptum fuiſſe, vt precationes fierent pro defunctis: certe quiuquis mediocri prudentia pollet, facile agnoſcit: quicquid de hac re legitur. publico mori, & vulgi imperitia fuiſſe datū* (ita quicquid ad faciendam fidem ex communi ſenſu totius Eccleſiæ, ſemper à temporibus Apoſtolorum factum eſſe, & fieri Patres vrgent: impietas dicet, publico mori, & vulgi imperitiæ fuiſſe datum. & Tertullianus, Chryſoſtomus, Auguſtinus, & alia ſumma Eccleſiæ ornamenta; qui nec mediocri quidem, ex his Caluini verbis polluerunt prudētia, qui non ex vulgi imperitia, ſed Traditione Apoſtolica; & iudicio vniuerſæ Eccleſiæ, aiunt: id fieri, cui ſtandum ſit, etiamſi in Scripturis non legeretur) *abrepti etiam ipſi* (at, non ſolùm ipſi, ſed etiam Apoſtoli, & vniuerſa primitiua Eccleſia; ex huius enim authoritate proteſtantur ſe loqui) *fateor, in errorē fuerūt, nempe, vt inconſiderata credulitas priuare iudicio ſolet hominum mentes* (ita PP. ſummi, & vniuerſa illa Eccleſia primitiua, priuata fuit iudicio?). *Monicam matrem ſuam, in libris Confeſſionum Auguſtinus narrat: vehementer rogaſſe, vt ſui memoria, in peragendis myſterÿs, fieret ad altare. Anile ſcilicet votum* (quale fuit & Conſtantini Imperatoris, qui ex Euſebio lib. 4. de vita Conſtātini, voluit ſepeliri in celebri templo, vt fieret particeps multarum orationum; quale fuerit etiam S. Ephræm, qui trecenteſimo poſt Chriſtum anno vixit, & in ſuo teſtamento hæc reliquit; Aſsidue in veſtris orationibus mei memoriam faciatis) *quod filius non exegit ad normam Scriptu-*

NB. Nota Caluini impudentiam, audet enim appellare ad primitiuam Eccleſiam, cuius teſtimonio cum falſitatis conuincitur; ait, vulgus imperitum illius primi temporis docuiſſe id, quod tunc, teſtibus ſanctis & doctis viris illius ætatis. Eccleſia docuit vniuerſa.

Scriptura; (dic, vbi in Scriptura prohibemur, pro mortuis preces fundere?) *ſed pro natura affectu, voluit probari alijs.* (ergo ſanctiſsimus vir Auguſtinus ſimulatè egit; magiſq; voluit probari hominibus, quam normæ Scripturæ?) *liber autem de cura pro mortuis agenda, ab eo compoſitus, tot hæſitationes continet, vt ſuo frigore, meritò debeat extinguere calorem ſtulti zeli.* (ergo zelus ſtultus Tertulliani lib. de monogam. Gregorij Nazianz. in oratione in Cæſarium: Cyrilli Hieroſolymitani catecheſi 5. S. Ambroſ. lib. 2. epiſt. 7. ad Fauſtinũ de obitu ſororis; & maximè Chryſoſt. homil. 84. in Ioan. & homil. 21. in Acta Apoſtolorum; & aliorũ, qui omnes; ante quingenteſimũ annũ Chriſti floruerũt, & omnes locis citatis, & alibi, maximo zelo vrgent patrocinium pro mortuis) *ſi quis mortuorum patronus eſſe appetat.*

NB. Incredibilis impudentia Caluini ſummatim comprehenditur ex dictis.

O impudentiſsimum os, quod nec ſanctitati, nec doctrinę ſummorũ virorũ, nec maieſtati Imperatoriæ, nec vniuerſalis Eccleſiæ primitiuæ, quando omnis ſanctitas floruit, iudicio quidquã defert! quodq; tanta capita, tamque inſignes perſonas, nec mediocriter prudentes, vulgus imperitũ, incõſideratè, credulos, iudicij expertes, aniles vetulas, hypocritas, ſtultoſq; appellat? &c.

CAPVT VII.

Detegitur origo odij Caluiniani & Lutherani, in Purgatorium, & quomodo Chriſtus plenè pro nobis ſatisfecerit, declaratur.

QVæres: vnde tã manifeſtũ odiũ hominũ iſtorũ in Purgatoriũ? Reſpondetur: ex occulto odio pœnitentiæ (cuius Caluinus, ob nefandũ

ſcelus

Digitized by Google

ſcelus vſtus, ex Bolſeco in vita Caluini cap. 5. Iulio Brigero pag. 59. & Lutherus cum moniali, quã ex Monaſterio extraxit, ſunt ſummi oſores) quâ, quicunque hic Deo pro peccatis plene non ſatisfacit: alibi pœnam, ſaltem ad tempus, luere debet. At obijcit Caluin. lib. 3. inſtit. cap. 5. §. 6. verſus finem: Chriſtum pro peccatis noſtris plenè ſatisfeciſſe. Cur ergò, non obſtante hac ſatisfactione, Scripturæ vbique clamant, ingeminantes nobis pœnitentiam? Matth. *3. pœnitentiam agite, facite fructus dignos pœnitentiæ.* Item; *Nõ veni vocare iuſtos, ſed peccatores, ad pœnitentiam.* Lucæ 13. *Niſi pœnitentiam egeritis, omnes ſimul peribitis*, & ſic innumeris alijs locis. Cur etiam Chriſtus Lucæ vltimo dixit: *Oportebat Chriſtum pati, & prædicari in nomine eius pœnitentiã.* ex mẽte enim Lutheri & Caluini potius dixiſſe debuerat: Oportebat Chriſtum pati, & prædicari; non opus eſſe pœnitentia: quia per paſsionem ſuam, plenè pro nobis ſatisfecit.

NB. Omnia vaſa Electionis pro reformanda Ecclesia Chriſti.

At dices: nonne Chriſtus pro nobis ſatisfecit; & quidem ſufficienter, & cũ ſummo rigore iuſtitiæ: non igitur opus eſt alia noſtra ſatisfactione. Confirmatur: vel Chriſti ſatisfactio ſufficiẽs fuit; vel non; ſi dicas; non fuiſſe ſufficientem: accuſabis ſatisfactionem Chriſti; & præſumes te efficere poſſe, quod Chriſtus non potuit: ſi verò ſufficiens fuit, quid ergo opus iam ſatisfactione noſtra? nonne hæc manifeſtè detrahit ſufficientiæ ſatisfactionis Chriſti?

Sed reſpõdetur 1. inſtãdo; Chriſtus pro nobis, & in primis pro remiſsione peccatorũ orauit: Ergò nõ opus eſt, amplius orare; nec opus dicere, *Et dimitte nobis debita noſtra:* quãdoquidẽ iã dudũ per ſatisfactionẽ Chriſti sũt nobis dimiſſa. Confirma-

NB. Ex Scripturis c. 5. allatis manifeſtiſſimũ eſt; aliquos bonos in hac vita luere pœnas peccati temporalis, ergo ſola ſatisfactio Chriſti præcisè non liberat nos gratis ab eadem pœna vt volunt aduerſarij, alias. n. cur illa ſtãte

adhuc puniatur: vt experientia & ſcriptura docent.

matur, vel oratio Chriſti fuit ſufficiens, vel nõ. ſi dicis: non fuiſſe ſufficientem; accuſas orationem Chriſti; & tuis precibus præſumis, te poſſe obtinere, ad quod non fuerunt ſufficientes preces Chriſti. Si autem Chriſti oratio ſufficiens fuit; quid ergo opus adhuc deprecatione noſtra? nonne hæc manifeſtè detrahit ſufficientiæ precum Chriſti?

Itaq;, ſicut oratio noſtra, nihil omnino deminuit de ſufficiẽtiâ, & valore orationis Chriſti; ita neq; ſatisfactio noſtra aufert quidquã ſufficiẽtię & immenſi valoris ſatisfactionis Chriſti: quia ſicut ipſe ſua efficaciſsima & infiniti valoris oratione, obtinuit nobis vires gratiæ, ſine quibus nec Ieſu nomen dicere poſſumus: ijs autem prȩuenti, & adiuti, orare poſſumus: ita ſua ſatisfactione infiniti valoris, obtinuit nobis vires gratiæ; quarũ auxilio, ſi volumus, ſatisfacere poſſumus; pœnas nimirum ſalutares vltrò nobis infligendo, vel afflictiones huius vitæ patienter, & ex amore Dei tolerando. Obtinuit etiam nobis Chriſtus; vt nobis dolentibus, peccata noſtra, quoad culpam & pœnam æternam, gratis, ſine noſtro merito, condonentur; vtque in filios adoptiuos gratis aſſumamur, ſicut in 1. Controuerſia docuimus.

Demũ, ſua ſatisfactione obtinuit nobis Chriſtus, vt noſtra pœnitentia; in nomine eius facta; acceptetur à Deo Patre, atque hoc eſt, quod dixit Chriſtus: *oportuit Chriſtum pati, & in nomine eius prædicari pœnitentiam*. Lucæ. 24. 47. nulla enim acceptatur à Deo Patre pœnitentia, niſi intuitu Chriſti: factaque viribus gratiæ Chriſti, ex paſsione illius in nos deriuatis: atque intuitu etiam ſatisfactionis Christi,

conde-

Digitized by Google

condonatur nobis per indulgentias, pœna purgatorij.

Reſpondetur ſecundò. Dupliciter poſſe aliquē pro alio cū ſummo rigore ſatisfacere. 1. ſic, vt is, pro quo ſatisfit: ad nihil prorſus teneatur, & hoc modo Chriſtus pro nobis non ſatisfecit, cum ſummo rigore: quia ſic nec credere, nec pœnitere, nec orare, nec dolere de peccatis; nec quidquam ſimile facere teneremur: quod ſcripturis eſt repugnantiſsimum. 2. poteſt quiſpiam pro alio, ſummo rigore ſatisfacere; quia poteſt illi ſuâ ſatisfactione rigidiſsimâ, obtinere pecuniam, v.g. paratā; ſeu medium promptum; quo, ſi illi, cui debet, vult ſatisfacere poſsit. atq, hoc ſecundo modo Chriſtus pro nobis ſatisfecit quia ſummo rigore iuſtitiæ circa ipſum ſeruato, (nihil enim Chriſto eſt condonatum) obtinuit nobis vires gratiæ, paratas: cum quibus, ſi volumus, ſatisfacere poſſumus. Nam propter ſatisfactionem parata eſt nobis gratia: cuius vi adiuti, ſi volumus credere, ſperare, pœnitere, diligere, poſſumus: & dolentibus nobis, parata eſt, per Sacramentum Baptiſmi & Pœnitentiæ, gratia Reconciliationis, quâ peccata noſtra, quoad culpam & pœnam æternam nobis gratis condonantur: & quâ in filios DEI adoptamur, gratuitò; & adoptatorum meritoria eſt ſatisfactio, ac in nomine Filij paſsi, Patri æterno accepta; atque intuitu etiam ſatisfactionis Chriſti, condonatur nobis per indulgentias pœna temporalis, aliâs in Purgatorio luenda.

Præter hoc argumentum, ex ſatisfactione Chriſti, in odium pœnitentiæ & Purgatorij deductum; nihil habent hæretici, quod obijciant aliud, præter loca quædam Scripturæ, in quibus

duplex tantum ſtatus animę futurus ſignificatur. Sed reſpondetur ijs locis Scripturæ: deò hoc fieri; quia in alia vita erit tantū ſtatus gaudij, & pœnæ: nullus autem merendi vel ſatisfaciendi; & duo tantum ſunt loci, tanquam termini vltimi, in quos via adultorum in æternum terminabitur; quamuis præter hos duos terminos vltimos, ipſimet Lutherani & Caluiniani aſsignent tertium locum, in quo dicunt animas piorum detineri vſq; ad diē Iudicij. Quorſum iā ergo obtrudunt illud Eccl. 11. 3. *ſi ceciderit lignū, vel ad auſtrū, vel ad aquilonē: in quocunq; loco ceciderit, ibi erit*. ergòne animæ ſemper hærebunt in illo tertio loco, in quo ipſi fabulantur, omnes manere vſque ad diem iudicij? vel certè, etiam ex ipſorum doctrina, intelligendus eſt ille textus Eccleſiaſtæ de locis, qui ſunt vltimi termini viæ! nam quemcunque verſus anima ceciderit, ibi manebit. Scito autem: omnes animas iuſtorum (etiamſi aliquæ ad tempus in purgatorio hæreant) cadere cœlum verſus; purgatorium enim eſt via animi tranſeuntis per Ignem. 1. Cor. 3.

(.?.)

SYNO-

Digitized by Google

SYNOPSIS QVINTÆ CONTROVERSIÆ, DE INVOCATIONE SANCTORVM.

Præſens Controuerſia in duo Capita diuiditur.

PRIMVM docet: ſi, quod Aduerſarij volunt, inuocatio & cultus Sanctorum eſt Antichriſtianiſmus & Idololatria: Ergo primitiua Eccleſia, quæ primis quingentis annis floruit, (quã Caluinus præcedenti Controuerſia Cap. 6. vocat caſtam Chriſti ſponſam; quòd tũc, vt ipſe ait, in vera doctrina nil fuerit immutatum) fuit Antichriſtiana & Idololatrica, quia (vt ex hyſtoricis Eccleſiaſticis, & SS. Patribus illius ætatis Cap. 1. huius controuerſiæ maniſeſtè oſtendo) tunc iam erat cõſtans & ardentior cultus ſanctorum, quàm nunc ſit, &, qui illâ ætate fuerunt primi ſanctitate & doctrina Chriſti ſimul, id eſt, Sancti Patres, fuerunt Antichriſtiani, & Idololatræ peruerſiſsimi; quia omnes illi (vt ipſorum propria verba cap. 1. controuerſię adducta conuincunt) & ſanctos defunctos ipſimet inuocarunt; & totam illam primitiuam Eccleſiam ad Sanctorum Inuocationem omni ſtudio ſtimularunt; atque, vt illam ad SANCTORVM ſuffragia poſtulanda efficacius excitarent, publicè narrarunt, & ſcripſerunt,

pſerunt, quę partim ipſimet, & partim alij patrocinij Sanctorum beneficio ſunt conſecuti, vt S. Leo. Auguſt. Ambroſ. & alij cap. 1. à nobis citati.

In 2. Capite Controuerſia demonſtratur, ex ſacra Scriptura & ratione: ſanctos defunctos rectè inuocari. Quia eadem, imò & maior eſt ratio inuocandi Sanctos ſeu amicos DEO defunctos, & iam cum Chriſto regnantes: quam hic viuentes, & adhuc nobiſcum certantes. Sed amicorum DEI hic viuentium interceſsionem licitè poſtulamus, ex 1. Reg. Cap. 12. & Exod. 32. & alijs locis expreſsè. Ergò multò magis licita erit inuocatio ſanctorum defunctorum cum DEO triumphantium.

Dices 1. Chriſtus eſt vnicus mediator 1. Tim. 2. Ergone nulla alterius interceſsio eſt admittenda? Ergò nec eſt admittenda interceſsio Angelorum pro nobis quam conſequentiam, dum Caluinus lib. 1. inſtit. Cap. 14. §. 2. conſequenter errans, concedit; repugnat Prophetæ Zachariæ Cap. 1. ibi enim expreſsè narratur: Angelum pro Hieruſalem interceſsiſſe; & quod petijt, à Deo obtinuiſſe.

Dices 2. Inuocare Sanctos eſt diffidere de miſericordia DEI, & meritis Chriſti: Ergone Paulus de his diffidit? quando ad Rom. 16. dicit: Obſecro fratres adiuuetis me, orationibus veſtris. Eadem habet ad Epheſ. 6. 1. ad Theſſal. 2. ad Coloſſ. 4.

Dices 3. animæ beatæ preces noſtras audire non poſſunt: At Dæmones audire poſſunt voces Magi incantantis, cui ex imo inferno ſtatim adſunt: ac eodem modo, quo anima beata Chriſti Mediatoris ac Redemptoris noſtri, audit noſtras

Digitized by Google

ſtras preces: cæteræ animæ beatę, noſtrorum interceſſorum, cum Chriſto regnantium, eas audire poſſunt: & quemadmodum non turbant animam beatam Chriſti Mediatoris, ita nec turbant ceteras interceſſorum.

QVINTA
CONTROVERSIA
DE CVLTV ET INVOCATIONE SANCTORVM.

CAPVT I.

Sanctos colendos eſſe, docetur ex conſtanti vſu cultus eorundem, qui cultus in primitiuâ Eccleſia primis quingentis annis floruit.

INVOCATIO Sanctorum (inquit Lutherus in articulis ad Concilium Mantuanum miſsis) eſt etiam de numero Antichriſtianorum abuſuum: quia pugnat cum præcipuis articulis, & delet Chriſti agnitionem.

Philippus verò Melancthon in antitheſi veræ doctrinæ, & Pontificiæ: Manifeſta, inquit, Idolomania eſt, omnis inuocatio mortuorum; qualis eſt in cultu Sanctorum.

Ioannes Brentius in Apolog. Confeſſ. VVittenberg. ita loquitur: Quis iuſsit vos inuocare Sanctos, vt DEI amicos? nam hic ipſe Sanctos inuocandi cultus, idololatricus eſt.

Caluinus lib. 4. Inſtit. cap. 21. recenſens cauſas, ob quas à nobis diſceſsionem feciſſet, cum ſuis: illam inprimis ponit, quòd nimirum nullum

lum

Digitized by Google

lum nobiſcum conuentum habere poſsit; in quo (ſcilicet ob Inuocationem ſanctorum) manifeſta Idololatria non polluatur.

Hæc iſti, & eorũ aſſeclæ, quę, ſi vera ſunt; ergò primitiua Eccleſia, quæ primis quingentis annis floruit; quamq́ue vt ex præcedenti controuerſia Cap. 6. patet, Caluinus vocat, Caſtam Chriſti ſponſam (quod tunc in vera doctrina nihil fuerit mutatum) fuit Antichriſtiana & idololatrica; &, qui in Eccleſiâ illa ſanctitate pariter ac doctrinâ floruerunt, ſcilicet S S. PP. fuerunt Antichriſtiani & idololatræ peruerſiſsimi: quia omnes illi, & Sanctos ſedulò ipſimet inuocárunt; & totam illam Eccleſiam ad Sanctorum Inuocationem omni ſtudio ſtimularunt; ex illiſq́ue & hiſtoricis Eccleſiaſticis illorum temporum, cõſtat, iam tunc planè conſtantem, & ardentiorem fuiſſe cultum Sanctorum, quàm nunc ſit.

Singula demonſtrabo paucis, ab vltimo incipiens. Quod igitur iam tunc fuerit, omnino conſtans, & ardentior etiam cultus Sanctorum, quàm nunc ſit, patet; Euſebius enim, temporis illius ſcriptor, lib. 13. de præparat. Euang. Cap. 7. ita ſcribit. Hæc, inquit, nos quotidie (vide aſsiduitatem) factitamus: qui veræ pietatis milites, vt DEI amicos honorantes, ad monumenta quoque illorum accedimus, votaq́ue illis facimus tanquam viris ſanctis; quorum interceſſione ad DEVM, non parum nos iuuari profitemur.

S. Cyrillus Catecheſi Myſtagog. Cùm, ait, hoc ſacrificium offerimus: facimus (loquitur de re conſueta) mentionem Prophetarum, Apoſtolorum, Martyrum; vt DEVS, orationibus illorum ſuſcipiat preces noſtras.

S. Au-

S. Auguſtinus tit. 8. in Ioan. ſic: Ideò quippe ad ipſam menſam, non ſic Martyres commemoramus (nonne de conſuetudine recepta loquitur?) quemadmodum alios qui in pace requieſcunt, vt etiam pro eis oremus; ſed magis, vt ipſi pro nobis orent. Eadem habet Serm. 17. de verb. Apoſt. Serm. 1. de SS. Petro & Paulo: Beatiſsimum, inquit, Petrum piſcatorem, genibus modò prouoluta, adorat gentium multitudo.

S. Chryſoſt. ſerm. de Iuuentio, & Maximo: Nam & ipſe (ait,) qui purpura indutus eſt, accedit, illa complexurus ſepulchra (ſcilicet Martyrum) & faſtu depoſito, ſtat ſanctis ſupplicaturus, vt pro ſe apud DEVM intercedant; & ſcenarum fabrum, & piſcatorem, vt protectorem orat, qui diademate redimitus incedit.

Ruffinus lib. 1. hiſt. cap. 33. Circuibat (Imperator Theodoſius) cum Sacerdotibus & populo, omnium orationum loca; & ante Martyrum, & Apoſtolorum thecas iacebat cilicio proſtratus; & auxilia ſibi fida Sanctorum interceſsione poſcebat.

Hæc, & ſimilia ſexcenta, quæ omnia ante quingenteſimum Chriſti annum ſunt geſta & ſcripta, conuincunt: cultum Sanctorum illis primis temporibus fuiſſe in Eccleſia Chriſti planè conſuetum; & viguiſſe adeò, vt tunc etiam Reges, & Principes Chriſtiani, non dedignarentur ſe ad ſepulchra ſanctorum abijcere, pro implorando eorum auxilio.

Iam verò, quòd illi ipſi, qui tunc, ceu lumina toti Eccleſiæ, ſanctitate & doctrina Chriſti præfulſerint, ſanctos coluerint, & inuocarint, patet ex Athanaſio, ſerm. in Euangelio de ſanctiſsima Deipara. Inclina aurem tuam Maria ad

preces

preces noſtras, & paulò poſt: Ad te clamamus, recordare noſtri, ſanctiſsima Virgo, &c. Similiter Gregor. Nazianz. oratione in Cyprian. in fine, eius auxilium implorat: Tu autem, inquit, è ſupernis propitius reſpice, &c. Et S. Gregor. Niſſen. Oratione in S. Theodoſium, in fine; Intercede & deprecare pro patria, apud communem Regem & Dominum &c. S. Ephrem. ſerm. de laud. Sanct. Martyrum. Precamur, ait, beatiſsimi Martyres, vt pro nobis miſeris Dominum interpellare dignemini &c. S. Theodoretus in hiſt. SS. Patrum, cuiuslibet vitam concludit, implorando eius auxilium. S. Auguſtinus lib. de Baptiſmo, contra Donatiſtas, cap 7. Adiuuet nos Cyprianus orationibus ſuis &c. & in ſerm. 18. de Sanctis, prolixa & pulchra extat eius oratio ad B. Virginem Chriſti Matrem.

Demùm prouocant nos ad Sanctorum inuocationem S. Baſilius in 46. Martyres: Qui aliqua premitur anguſtia, ad hos confugiat; qui lætatur hos oret: ille, vt à malis liberetur: iſte, vt duret in rebus lætis. S. Gregor. Nazianz. oratione 14. de obitu Gregorij parentis ſui: Nunc, magis nobis proficit precibus, quàm ante doctrina; quando etiam DEO propinquior eſt, poſteaquam depoſuit vincula corporalia. S. Ambroſ. lib. de viduis: Iſti enim ſunt Deo Martyres, noſtri præſides, ſpeculatores vitæ, actuumque noſtrorum: non erubeſcamus eos interceſſores noſtræ infirmitatis adhibere: quia ipſi infirmitatem corporis, etiam cùm viuerent, agnouerunt.

Atque vt ad Sanctorum ſuffragia poſtulanda, SS. Patres nos magis excitent, narrant: quæ partim

tim alij, patrocinio Sanctorum beneficia acceperint.

S. Leo ſerm. 1. de SS. Petro, & Paulo, ait: Sicuti nos experti ſumus, & noſtri probauere maiores: credimus, atque confidimus, inter omnes labores huius vitæ, ad obtinendam miſericordiam DEI, ſemper nos ſpecialium patronorum orationibus adiuuandos. Vide Theodoret. hiſt. lib. 5. cap. 24. & lib. 8. ad Græcos. Ambroſ. ſerm. 90. de S. Agnete. Auguſt. lib. 22. de ciuit. cap. 8. Greg. Turon. lib. de gloria Mart. & Confeſſ. vide & Greg. Magn. lib. 3. dialog. cap. 22. 24. 25. 37. & alios plurimos, grauiſsimos, ſanctiſsimos, & doctiſsimos viros. Videre demum licet annales authenticos, qui in Archiuis plurium Ciuitatum Catholicarum, maxime Italiæ (vbi mihi 25. annis continuis hærenti, plurima eiuſmodi monumenta luſtrare licuit) reperiuntur, cótinentes varia miracula, formâ Iuris à tribunalibus Principum, rigidè examinata, quibus varij Sancti Patroni Ciuitatum, ſuos clientes iuuerunt.

Vel ergo iſti omnes, ſanctitate, doctrina, prudentia, & ſumma authoritate illuſtres viri, talia, tamquam prorſus certa, & indubitatæ fidei cóſignantes monumentis, toti mundo impoſuerūt, pernicioſiſsimè mentiendo, ad inducendam vniuerſam Eccleſiam Chriſti in Idololatriam, & Antichriſtianiſmum: vel cultus Sanctorum eſt legitimus. At diceſne: mentitos ſacrilegè omnes enumeratos Patres (qui omni ſæculo habiti sút pro luminibus ſanctitatis, & doctrinæ Eccleſiaſticæ) ſuo exemplo, narratione miraculorum, integris ſermonibus, & homilijs, cæteriſque modis pluribus, ad cultum Sanctorum nos prouocantes?

cantes? an potius dices: nequiter loquutum Caluinum lib. 3. inſtit. cap. 20. §. 22. dum ait: Voluiſſe quidem Patres prohibere hanc ſuperſtitionem precandi Sanctos, ſed non potuiſſe frangere impetum vulgi. Expende quæſo, tantum ea ſola, quæ iam retulimus; ſed & lege, per ſalutem tuam, integras homilias, ſermoneſque, quos in feſtis Sanctorum, tanti viri conſcripſerunt: & vide, an vel tenuiſsimum aliquod veſtigium contineant animi, volentis frangere impetum hominum inuocandi Sanctos; an potius exprimant vim, omni ratione vrgentem Sanctorum Inuocationem.

Verùm, quod Patres prohibuerint ſuperſtitionem, quæ eſt circa cultum Sanctorum, probat Caluinus ex Concilio Carthaginienſi tertio, quod cap. 28. præcipit, orationem in altari, nō dirigendam ad alterum, quàm ad Patrem. At, ſi per hoc, quod Concilium docet: orationem Sacerdotis ſacrificium offerentis, dirigendam ad Patrem, prohibetur cultus Sanctorum: prohibetur etiam cultus filij, & Spiritus Sancti: quia ibi prçcipitur, vt oratio Sacerdotis ſacrificium offerentis, dirigatur ad perſonam Patris; non Filij, aut Spiritus Sancti. Atque etiam hodie facto ipſo obſeruat hoc ipſum Eccleſia. Licet interim toti ſanctiſsimæ Trinitati ſacrificet; & memoriam præterea faciat martyrum, vt pro nobis orent, ſicut & primis quingentis annis fecit (vt patet ex ſupra citato Cyrillo & Auguſtino) quando ex aduerſariorum doctrina, caſtæ Deo ſponſæ, nondum erat ſubſtituta meretrix illa, de qua controuerſia ſuperiori cap. 6.

NB. Solutionem argumenti

Et ſanè, caſtæ illi ſponſæ, idem olim fuit obiectum ab Ethnicis, quod nobis nunc aduerſarij obtru-

obtrudunt; ſcilicet, cultum Sanctorum, eſſe cultum Deorum: hoc igitur idem nobis aduerſarijs obijcientibus hodie, reſpondeamus ipſis ijſdem verbis, quibus iam olim Auguſtinus reſpondit, in pſalm. 96. Vtinam, inquit, & vos illos colere velletis: facilè enim ab illis diſceretis, non illos colere, vt Deos; ſed, vt Sanctos.

quod nobis obtrudunt aduerſarij, iam ante mille annos docuit Auguſtinus &c.

Atque hinc rurſus omnino agnoſcere, ſi modo vis, potes: primis illis quingentis à Chriſto annis, fuiſſe in vſu cultum Sanctorum: cũ Ethnici, Iudæi, & hæretici incuſarint Chriſtianos illius ſæculi Idololatriæ, propter cultum Sanctorum. Cui accuſationi, Auguſtinus, & alij viri Sancti tunc reſponderunt. Ac, de Ethnicis quidem, vide Euſeb. lib. 8. cap. 6. de Iudæis vero eundem vide lib. 4. cap. 15. De Iuliano Apoſtata, Cyril. lib. 6. & 20. De Manichæis, Auguſtinum lib. 20. cap. 21. contra Fauſtum. De Porphyrio, Vigilantio, Eunomio: Hieronymum conſule, ſcribentem contra Vigilantium &c.

CAPVT II.

Ex Sacra Scriptura, ac etiam ratione prorſus conuincitur, Sanctos defunctos rectè inuocari.

EADEM, imo & maior eſt ratio inuocandi Sanctos, ſeu amicos DEI defunctos, & iam cum DEO regnantes: quam hic viuentes; & adhuc nobiſcum certantes: ſed amicorum DEI hic viuentium interceſſionem, ex Scripturarum Sacrarum doctrina licitè poſtulamus: Ergò

NB. Tam rectè inuocamus Sanctos cũ Chriſto regnantes, quã rectè inuocamus Sanctos hic viuentes: quorum inuocatio in Scriptura eſt planè expreſſa.

NB. Aduerſarij volunt, ex Scriptura haberi, ad Deum ſolũ immediatè eſſe recurrendum: vnde ergo hac vox populi ad Samuelem? Ora pro ſeruis tuis? Et ſi populus potuit dicere Samueli, Ora pro ſeruis tuis ad Dominum Deum tuum, cur Litanijs nos non poſſumus dicere Matri Chriſti. Ora pro ſeruis tuis ad filium tuum &c. Et ſi inuocatio interceſsionis Sanctorum hic viuentium (quæ expreſſè habetur in Scriptura) non eſt idololatria, nec præiudicat quidquam Chriſto: cur inuocatio interceſſionis Sanctorum cum Chriſto viuentium eſt idololatria? cur iſta præiudicat Chriſto?

Ergo multo magis licita erit inuocatio Sanctorum, iam defunctorum, & cum Deo triumphãtium. Minor propoſitio probatur ex 1. *Reg. cap. 12. v. 19. Et dixit omnis populus ad Samuelem, Ora pro ſeruis tuis ad Dominum Deum tuum, vt non moriamur. Et dixit Samuel; Abſit à me hoc peccatum in Dominum, vt ceſſem orare pro vobis.* Et exodi 32. dicitur, *quod Moyſes orauerit Dominum Deum ſuum placatuſque eſt Dominus, ne faceret malum.* Et ſimilia alia de his leguntur. Maior propoſitio probatur. Quia ratio, ob quam populus implorauit interceſsionem Samuelis, fuit illud, *Dominus Deus tuus*; & Moyſis, illud, *Dominum Deum ſuum*; id eſt peculiaris affectus Dei erga Samuelem & Moyſen, tanquam viros omnino ſingulariter ſuos.

Ergò ne eo ipſo, quo aliquis Sanctorum ad DEVM commigrat, affectus ille DEI peculiaris erga ipſum diminuitur: vt non amplius DEVS, ita, ceu antea, velit eſſe, & dici Dominus Deus illius? ſi ita eſt; cur ergo toties dicitur, *Deus Abraham, Deus Iſaac, Deus Iacob*, iam defunctorum? at DEO ſuo (ſingulariter) viuentium; ideo enim, vt antea dicebatur, ita iam etiam dicitur DEVS illorum.

Deinde, ratio intercedendi, pro implorantibus auxilium, fuit charitas Sanctorum erga ſuos clientes; propter quam, dum viuebat Samuel, ducebat ſibi piaculo; non orare pro ſuis: *Abſit*, inquit, *à me hoc peccatum in Dominum, vt ceſſem orare pro vobis.* Ergone ex hoc, quod Sanctus ex

hac

hac vita diſcedit, imminuitur eius charitas; &, qui ante noluit peccare in Dominum, iam velit ceſſando orare pro ſuis? Certe 2. Machab. vltimo, Iudas in viſione quadam, vidit Oniam pontificem, & Hieremiam prophetam, qui iam obierant, orantes pro populo ſuo. Ad quem locũ Caluinus nihil habet aliud quod reſpondeat, niſi librum illum non eſſe Canonicum: at contrarium iam controuerſia præcedenti, ex ſenſu primitiuæ Eccleſiæ oſtendimus. Et eodem modo negare deberet: Zachariam eſſe librum Canonicum: quia Caluin. lib. 1. Inſtit. cap. 14. §. 12. nec Angelorum interceſsionem pro nobis ad Devm, admittit: & tamen cap. 1. Zachariæ. v. 12. narratur expreſsè Angelus orare Dominum pro Hieruſalem, & vrbibus Iudæ.

NB. Si quia Chriſtus eſt vnicus mediator 1. Ti. 2. ideò nulla alterius interceſſio eſt admittenda: Ergò nec eſt admittenda interceſſio Angelorum pro nobis. quam conſequentiam dum Caluinus conſequenter errans concedit, expreſsè Propheta Zacharia cap. 1. repugnat. Ibi enim narratur Angelus pro Hieruſalem interceſsiſſe, &, quod petijt obtinuiſſe &c. Si ergo Angelus interceſſor non lædit Chriſtum mediatorem, Zach. 1. cur 2. Machabæorum, Hieremias interceſſor lædit Chriſtum Mediatoren.

Demùm, ſi non ſunt inuocandi Sancti defuncti: vel ideò non ſunt inuocandi, quia amplius non ſunt de nobis ſolliciti: at Epulo ille diues, in flammis eſt ſollicitus de fratribus: & Sancti non erunt de fratribus ſolliciti? Et, quomodo Hieruſalem illa cæleſtis, quę ex Sanctis eſt conflata, dicitur mater noſtra, ad Galat. 4. v. 26. Si non eſt ſollicita de ſuis? An quia inuocare Sanctos, eſt diffidere de miſericordia Dei, & meritis Chriſti? ergo Paulus de his diffidit, quando ad Rom. 15. dicit: *Obſecro fratres, vt adiuuetis me orationibus veſtris*; item cum ſimiliter loquitur ad Epheſ. 6. 1. ad Theſſalon. 2. ad Coloſſ. 4.

Sed directè reſpondet S. Bernardus; Sanctos inuocare, non eſt de miſericordia Dei diffidere; ſed de propria indignitate timere.

An, quia non poſſunt? at hic potuerunt; &, nõ

magis ibi, vbi Deo ſunt magis iuncti? quæ ratio, eſt Gregorij. Nazianz. oratione 14. de obitu parẽtis, ſic enim loquitur: Nũc magis nobis proficit, quanto Deo propinquior eſt. Et S. Ephrẽ in ſerm. de laud. Sanctorum. Precamur vos, ait, beatiſsimi Martyres, quò familiarius cum Deo coniuncti eſtis &c. Et S. Hieronym. in Epitaphio Paulæ; vale, ait, ô Paula, & cultoris tui vltimam ſenectutem precibus iuua; præſens faciliùs, quod poſtulas, impetrabis.

An, quia noſtræ preces non poſſunt illis innoteſcere? quam cauſam obtrudit Caluin. lib. 3. Inſtit. cap. 20. §. 24. dicens: Quod ſi quis cauſetur, fieri non poſſe, quin (Sancti) eandem erga nos charitatem retineant, vt ſunt vna nobiſcum fide coniuncti; quis tamen, eo vſque longas eſſe aures reuelauit; quæ ad voces noſtras porrigantur; oculos etiam tam perſpicaces, qui neceſsitatibus noſtris aduigilent? O impium hominem! &, quas aures, quoſue oculos habent Dæmones: qui ad vocem Magi incantantis, ex imo inferno in momento adſunt? quas etiam aures, quoſue oculos habent Angeli, quibus innoteſcunt orationes noſtræ; quas offerunt Deo, Tob. 12. *Ego*, inquit, *Raphael obtuli orationem tuam Domino*, & Apocal. 8. v. 4. *Et aſcendit fumus incenſorum de orationibus Sanctorum, de manu Angeli, coram* DEO. Et Danielis 9. *adhuc me loquente* (ait Daniel) *in oratione, ecce vir Gabriel: & locutus eſt mihi, dixitque: ab exordio precum tuarum egreſſus eſt ſermo*, &c. quomodo hæ preces ſtatim Gabrieli innotuerunt?

Reſpondetur ergo, tunc ſolum requiri certam diſtantiam ad percipiendum obiectum; quando obiectum percipitur per virtutẽ, ſeu qualitatem

à ſe

à ſe tranſmiſſam in potentiam cognoſcentem: quæ virtus, nimia longitudine medij, per quod ipſa propagatur, tandem exhauritur; & proinde, potentia cognoſcens, nimis diſtans ab obiecto, eius virtute per medium tranſmiſsâ, moueri non poteſt: quando verò obiectum à potentia cognoſcitur, tantùm terminando actum cognitionis; non tranſmittendo aliquam qualitatem, qua agat in potentiam cognoſcentem; tunc obiectum illud, æquè in remotiſsima, ac in parua diſtantia agnoſcitur. Sic, quando imaginamur nobis amicum noſtrum abſentem, quia tunc ipſe cognoſcitur, tantum terminando actum noſtræ imaginationis, non tranſmittendo aliquam qualitatem per medium; ideo æque facilè, & æquè bene imaginamur nobis amicum abſentem mille milliaribus; ac quando vno ſolùm milliari à nobis diſtat.

NB. Quando obiectum tantum proponitur cognoſcendum, ita vt nil agat in potentiam: tunc nulla certa diſtãtia eſt neceſſaria, vt res obiecta percipiatur à potentiis cognoſcente; ſic Magi res remotiſſimas ſpectandas obijciunt non poterit ergò Deus cum ſuis quod Dæmon cũ ſuis?

Quia ergo obiecta, quæ Spiritus à corporibus ſeparati, extra ſe poſita agnoſcunt, cognoſcuntur ab ipſis tantum terminando illorum intuitum; non tranſmittendo aliquam virtutem in ipſos (nullam enim qualitatem per medium, in Angelum meum cuſtodem, tranſmittere poſſum; non Spiritualem: quia corpus, huiuſmodi qualitatẽ naturaliter producere nequit; & qualitas Spiritualis in medio corpore ſubſiſtere nõ poteſt; non corporalem, quia hæc, in ſubſtantiâ Spirituali, qualis eſt Angelus, recipi non poteſt: qualitas enim materialis & diuiſibilis, recipi nequit in indiuiſibili, ex 3. cœli tex. 12. nam alioquin ſubſtãtia Angeli dealbari, & calefieri poſſet) ideo ipſi illa cognoſcunt, in quacunque ſint diſtantiâ: ſicque vnus Angelus alterum cognoſcit, quantumcunque ab illo diſtet.

Atque hunc modum cognoſcendi, DEVS, aliquando animabus, etiam dum adhuc in corporibus exiſtunt, communicat; eaſque prorſus abſentia, & abſcondita cognoſcere facit. Ita legimus factum cum Eliſæo 4. Reg. cap. 5. Num. 26. & Samuele 1. Reg. cap. 9. v. 19. & alijs.

Quod ſi B. Stephanus, in terris adhuc manens, vidit Chriſtum ſtantem in cælis; cur nunc Sancti triumphantes in cœlis, non poſsint me videre orantem in terris? & qua ratione anima beata Chriſti cognoſcit noſtras preces, cognoſcunt & aliæ animæ beatæ, nec propterea in ſua quiete turbantur, ſicut nec anima Chriſti.

Faceſſant ergo ineptiæ de longitudine aurium; ſiquidem non deſunt Spiritibus modi cognoſcendi nos abſentes; ſiue iam id conſequantur intuendo eſſentiam Dei, ſibi intimè præſentem, (quæ ſicut Deo eſt inſtar ſpeculi; ita & ipſis lumine gloriæ imbutis, poteſt eſſe ratio repræſentandi etiam occultas, & nondum exiſtentes ſed futuras cogitationes cordis; nedum orationes noſtras externas, ſenſibus expoſitas, & tantum loco diſtantes) ſiue per quandam aliam qualitatem, ſibi à DEO impreſſam, (de qua plura dixi in 1. p. D. Thomæ) quâ ratione Diues ille Epulo, in inferno vidit animam Lazari mendici, quieſcentem in ſinu Abrahæ, cum tamen magnum chaos eſſet inter eos, & nihil ab obiecto, in potentiam cognoſcentem fuerit tranſmiſſum.

Denique (vt hanc controuerſiam paucis concludam): deſinuntur Sancti, eſſe Sancti: eo, quod moriantur? ſi enim adhuc ſunt Sancti: quomodo nō communicant communione illa,

quam

quam fide profitemur; dicentes; Credo communionem Sanctorum. Nonne ſunt adhuc membra Eccleſiæ; & ſub eodem capite Chriſto: qui ad Coloſſ. 1. & Epheſ. 4. dicitur *Caput ſuper omnem Eccleſiam.* nam ſi ſuper omnem Eccleſiam: ergo & cæleſtem. membrorum autem ſub vno capite viuentium, nonne officium hoc eſt, vt mutuò ſe iuuent, ad Rom. 12. 1. Cor. 12. Ac Sancti quidem non opus habent noſtro auxilio; ſed nos illorum. iniuria eſt namque (inquit S. Auguſtinus ſerm. 17. de verbis Apoſtoli) orare pro Martyre, cuius nos debemus orationibus commendari.

Obijciunt ex 1. ad Timoth. 2. *Vnus eſt mediator Dei & hominum, homo Chriſtus Ieſus*: quid ergò opus eſt, vt accedant (inquit Caluin. lib. 1. Inſt. cap. 14. §. 24) Georgius, Hyppolitus, aut ſimiles laruæ? O ſacrilegum hominem! DEVS, per ſeipſum cognoſcit noſtras orationes; ergone propterea dicam, quid opus eſt accedere Angelos, aut ſimiles laruas, quæ DEO orationes noſtras offerant? Laruæ etiam fuerunt, quorũ preces præter Chriſtum mediatorem, Paulus locis ſuprà relatis, implorauit? Reſpondetur ergò; Chriſtum quidem eſſe vnicum mediatorem, redemptorem; qui pro noſtris delictis Patri æterno ſatisfecit: at præter Chriſtum, benè poſſunt alij etiam mediatores eſſe; qui nimirum, tantum intercedant pro nobis &c.

Digitized by Google

SYNOPSIS SEXTÆ CONTROVERSIÆ, DE CVLTV SACRARVM RELIQVIARVM.

DVo ſunt capita huius controuerſiæ. Primum oſtendit primis quingentis annis Eccleſiæ(quando ſcilicet ex Caluino caſtæ Chriſti ſponſæ nondum erat ſubſtituta fœtida meretrix, vt controu. 4. cap. 6. diximus; & quando conſtabat, vt ipſe ait: in vera doctrina nil fuiſſe mutatum) viros illos, qui tunc & omni ſæculo habiti ſunt pro luminibus ſanctitatis, & doctrinæ Chriſtianæ, vnanimi conſenſu reliquias Sanctorum eſſe veneratos: adeò, vt ipſimet aduerſarij impudenter reprehendant illos: quòd nimirum toto pectore ſe oppoſuerint, cultum ſacrarum reliquiarum impugnantibus. Secundum caput, ex Scriptura & ratione demóſtrat: reliquias Sanctorum eſſe religiosè venerandas. Res enim ſanctæ, quâ ſanctæ, ex Scriptura ſunt adorandæ, ſeu ſacro cultu venerandæ; at reliquiæ Sanctorum ſunt res ſanctæ: Ergò adorandæ ſeu ſacro cultu venerandæ. Maior probatur primo, quia Sanctum, & religioſo cultu venerandum: idem eſt in Scriptura. Secundo quia res in Scriptura dicuntur adorandæ ſeu venerádæ, eò quod Sanctæ; Minor probatur: quia arca & huiuſmodi aliæ res, ideò in Scripturis dicuntur Sanctæ; quia habent rationem rei peculiariter

liariter ad DEVM ſpectantis;& eas Deus vult agnoſci,& vocari peculiariter ſuas: puta, ſuum ſcabellum,ſuum locum,ſuum diem,&c. licèt enim omnia ſint DEI: aliqua tamen DEVS vult magis peculiariter haberi pro re ſua;&, vt pro talibus habeantur, & honorentur: per ipſa operatur mira; at, nonne magis peculiariter rationem rei ad Deum ſpectantis habet v. g. crux Chriſti, (in qua non Angelus, qui olim loco Dei locutus eſt Moyſi Act. 7.ſed ipſemet Deus in propria perſona opus noſtræ ſalutis conſummauit) quam arca illa, quæ fuit mera vmbra crucis Chriſti? Nonne etiam conſtat: corpora Sanctorum,habitaculum fuiſſe Spiritus Sancti; & vaſa ſeu inſtrumenta electa,per quæ Spiritus Sanctus,& eſt locutus,& mira egit? vt vel ſola ipſorum vmbra ſanaret infirmos, Act. 5. & proinde etiam, per horum corporum reliquias, tamquam per res, quas Deus vult agnoſci peculiariter ſuas,& vt tales honorari:mira agit,niſi fortè ſit mendacium & illuſio Diaboli, quod refertur 4. Reg.13 .quod ſcilicet oſſa Eliſæi (cū ea cadauer mortui tetigiſſet)mortuum continuò excitarint: niſi fortè etiam pernicioſiſsimè mētiantur Gregorius, Nazianzenus, Chryſoſtomus, Auguſtinus, & alij viri grauiſsimi,Sanctiſſimi,& doctiſsimi: qui primis quingentis annis ſcripſerunt,& innumera miracula, circa Reliquias tunc accidiſſe narrant.Quæ ſi non ita ſe habent: viri iſti Sancti & docti ſacrilegè mentiti ſunt,in fauorem Idololatriæ; ſic enim hæretici venerationem reliquiarum vocant:quæ,vt ſanctæ, non prophano ſed ſacro cultu ſunt colendę. Sanctum enim,quâ Sanctum, ſeu qua aliquid eſt peculiare Dei, altiori cultu venerandum eſt

quam

quàm quod ciuile & prophanum eſt, iuxta illud Leuitici 10. *Habeatis ſcientiam diſcernendi inter Sanctum & prophanum.*

SEXTA

CONTROVERSIA DE CVLTV SACRARVM RELIQVIARVM.

CAPVT I.

Explicatur temeritas Lutheri, & Sociorum eius: doctiſsimos ac ſanctiſsimos viros primitiuæ Eccleſiæ condemnantium.

LVTHERVS in ſermone, quem de Cruce, pro feſto Exaltationis ſanctæ crucis edidit, ſic habet; Reliquiæ nil aliud, quàm fidelium auocamenta ſunt: quare ſub terram defodi has multo commodius eſt. Super iſthoc & Vigilantius ſcripſit: contra quem toto pectore Hieronymus ſe oppoſuit; adeò certè, vt vellem: eum in hac parte à ſtylo temperaſſe. Quòd ſi Vigilantij volumen, vt Hieronymi extaret; facilè crediderim, eum multo Chriſtianius ſuper hoc ſcripſiſſe, quàm ipſum Hieronymum. hactenus Lutherus.

Antonius verò Sadael, vnus ex præcipuis Caluiniſtis, ad artic. 58. Confeſsionis Monachorum Burdigalenſ. agens de cultu Reliquiarũ ait:

ait: Nolumus planè approbare primordia illa iam vſitata temporibus Auguſtini.

Itaq; hi impudẽtes homines, non ſolùm pręſentis Eccleſiæ, ſed etiam illius primitiuæ, (in qua omnis ſanctitas floruit, & quam ipſimet 4. controuerſia cap. 4. vocarunt caſtam Chriſti Sponſam, quod in eâ, quoad veram doctrinam, nihil mutatum fuerit) iniquos ſe Iudices conſtituunt; Vigilantio ſceleris ſocio blandiendo, Hieronymum verò, & cùm eo vniuerſam illius temporis Eccleſiam condemnando. Quod enim S. Hieronymus toto pectore Vigilantio, theſaurum Eccleſiæ, id eſt, Sanctorum reliquias inuadenti, ſe oppoſuerit: fecit id ex ſenſu vniuerſalis Eccleſiæ illorum temporum: ex cuius ſenſu cætera quoque omnia primitiuæ Eccleſiæ capita, vnanimi Spiritu ſanctarum Reliquiarum cultum vrgent. Audi aliquot.

NB. Impudentia horum hominum. audent enim appellare ad Eccleſiam primitiuã cuius teſtimonio, cùm clare mendacij conuincuntur, dicunt, ſe non poſſe approbare primordia illa, iam vſitata temporibus Auguſtini, &c.

S. Baſilius in pſalm. 15. Qui contingit oſſa Martyris, quandam Sanctificationis ſocietatem aſſumit, ex gratia corpori inſidente.

S. Gregorius Niſſenus, Oratione in Theodorum Martyrem: Si quis etiam puluerem, quo conditorium, vbi Martyris corpus requieſcit, obſitum eſt, auferre permittat; pro munere puluis accipitur; ac tanquam res magni precij colligitur; nam ipſas attingere Reliquias, ſi quando aliqua eiuſmodi proſpera fortuna contingat, vt id facere liceat; quàm id ſit multum deſiderandum, & optandum, ac ſummarum precum donum: ſciunt experti, & eius deſiderij compotes facti.

S. Euſeb. Emiſſen. homil: de S. Blandina. Vbi ſunt, inquit, qui venerationem ſacris Martyrum dicunt non eſſe deferendam corporibus? En

eti-

Digitized by Google

etiam iſtum Athletam, inimicos Eccleſiæ venerantis Reliquias ſanctorum, ad duellum prouocantem!

Quibus etiam ſe opponit S. Ambroſius ſerm. 93. de SS. Nazario & Celſo, ita ſcribens: Quod ſi dicas mihi; Quid honoras iam in carne reſoluta & conſumpta? honoro in carne Martyris exceptas pro Chriſti nomine cicatrices; honoro in cineribus ſemina æternitatis: honoro corpus, quod mihi oſtendit, Dominum, diligere; quod me propter Dominum docuit non timere. Cur autem non honorent corpus illud fideles, quod reuerentur & Dæmones? quod afflixerunt in ſupplicio; id glorificant in ſepulchro.

Eundem ſpiritum pietatis in ſanctorum Reliquias, quaſi ex vno ore omnium ſpirant corda reliquorum Patrum, qui de hac materia, & inprimis de cruce Chriſti, primis Eccleſiæ temporibus ſcripſerunt. Teſtimonia plurima collecta videre poteris apud Cardinalem Bellarminum lib. 2. de Reliquiis ſanctorum cap. 3.

Quam autem hic ſpiritus diuerſus ſit ab illo, in quo Vigilantius, Lutherus, & Caluinus cum ſuis conſpirant: quilibet conferendo eos, aduertere poteſt.

O ſpiritum mendacem, qui per Antonij Sadael loco citato hæc verba ſpirat: Proinde, ait, non ſine cauſa talia (id eſt, ea quæ faciunt ad cultum reliquiarum) reijcimus; quandoquidem nullæ admonitiones & reprehenſiones veterum Patrum prohibere potuerunt Idololatrias, ex illis principijs enatas.

Quid tibi videtur de hoc mendacio? Referuntur relatæ ſententiæ, cum quibus & cæteri veteres Patres omnes conſpirant, aliquam ſpeciem

ciem

Digitized by Google

ciem admonitionis & reprehenſionis prohibentis cultum ſacrarum Reliquiarum? an potius exprimunt animum, toto pectore hoſtibus cultus Reliquiarum ſe opponentem? vt Lutherus de Hieronymo dicit. vnde vides: quam non ſint conuenientia hominum mendaciū teſtimonia; ex Marc. 14.56. Quia vnus dicit: veterum Patrum reprehenſionem non potuiſſe prohibere cultum Reliquiarum; alter dicit, Hieronymum, cum quo cæteri, vt ſupra vidiſti, conſpirant: toto pectore pro illo certaſſe.

O Spiritum ipſis dæmonibus nequiorem! hi enim (vt in Ambroſio legitur ſuprà citato) Reliquias Martyrum reuerentur: At ſpiritus Lutheri cum Vigilantio conſpirans, hæc habet in ſerm. illo ſupra adducto: Si in manu mea, inquit, Crux illa, (ſcilicet Chriſti, quæ eſt Reliquiarum ſuprema) & huius notæ aliæ eſſent, eò (ita ſcilicet verecundè loquitur, vt hic non auſit ſecretum illum locum nominare, cuius alias materiam in ſuis ſympoſiacis toties in ore verſat) ſtatim reponerem, vt aprico poſthac non exponeretur.

Eiuſdem ſpiritus fuit Vigilantius, apud S. Hieronymum in lib. quem aduerſus eundem Vigilantium conſcripſit, vbi de Vigilantio S. Pater ita inter cætera loquitur. Dolet Martyrum reliquias pretioſo velamine operiri, & non proijci in ſterquilinium, vt ſolûs Vigilantius ebrius (non mirum ergo ſi hic Luthero vitrum illud decem præceptorum euacuanti magis, quam cilicijs & ieiunijs exhauſtus Hieronymus arrideat) & dormiens adoretur, &c.

CAPVT

Digitized by Google

CAPVT II.

Demonſtratur ex Scriptura & ratione: Sanctorum Reliquias eſſe colendas.

RES Sanctæ (etiam ſi ſint inanimæ) ſacra Scriptura ita docente, ſunt adorandæ, ſeu ſacro cultu venerandæ: at Reliquiæ Sanctorum ſunt res ſanctæ; Ergo adorandæ, ſeu ſacro cultu venerandæ: Maior propoſitio patet 1. Quia ſanctum, & ſacro cultu venerandum idem eſt, ex Exodo 12. v. 16. Dies prima erit ſancta, & dies ſeptima eadem feſtiuitate venerabilis. Idem ergo eſt: diem aliquem eſſe ſanctum, & eſſe religioſè ſeu ſacro cultu venerabilem.

Præterea, res in Scriptura dicuntur adorandæ, ſeu ſacro cultu venerandæ, eo quod ſint ſanctæ; nam Arca veteris teſtamenti præcipitur, vt adoretur; eò quod ſancta ſit, *Pſalm. 98. v. 5. Adorate ſcabellum pedum eius, quoniam ſanctum eſt.* Dicitur autem arca eſſe ſcabellum DEI pedum, quia Deus (qui eodem pſalm. 98. v. 1. dicitur ſedere ſuper Cherubim; ſeu ſuper tabulam illam auream intentem alijs Cherubim, vnde populo reſponſa dabat) intelligebatur pedibus tangere arcam, ſeu capram illam tanquam ſcabellum. Et hoc nomine appellabatur arca à Dauid 1. *Paralip.* 28. v. 2. vbi ſic: *Cogitaui vt edificarem domum* (id eſt templum) *in qua requieſceret Arca fœderis, & ſcabellum pedum DEI noſtri*; vbi particula, &, more Hebræo abundat.

NB. Vide Bellarminum in illum locum pſal. Nota autem adorationem aliquando ſignificare omnem cultum ſacrum ſeu religionis ſiue is exhibeatur Deo ipſi, ſiue rei quam Deus vult honorari, vt Sanctam, id eſt;

Confirmatur, quia ad Arcæ, tanquam rei ſanctæ, reuerentiam 1. Paralip. 2. ex ſola Tribu Leui eligebantur Sacerdotes & Leuitæ; qui

cum

cum reuerentia miniſtrarent coram Arca, & ipſam reuerenter portarent. Ad arcæ reuerentiam maiorem præcipitur populo, Ioſue 3. *ne quis eidem appropinquet*, *ideoque percuſſus eſt morte Oza*. 2. Reg. 6. *quod* minus reuerenter *tetigiſſet Arcam*. & 1. Reg. 6. ex Bethſamitis, ſupra quinquaginta millia occiſi ſunt: qui curioſè, & ſine debitâ reuerentia, Arcam videre voluerunt.

tanquam rem peculiariter ſuã; & hoc modo Arca dicitur adoranda; aliquãdo vero adoratio ſignificat cultum ſupremum Religionis, quo res non tantum, vt eſt aliquid peculiare DEI, ſed tanquam ipſa ſit verus Deus, honoratur, & hac ratione ſæpe SS. PP. dicunt Deum ſolum eſſe adorandum. honorare enim rem creatam, tamquam ipſamet ſit Deus; eſt idololatria.

Hæc omnia conuincunt: Arcam Dei tanquã rem Sanctam, in veneratione fuiſſe. Demum voluit Deus, vt Moyſes illum locum, in quo per Angelum cum Moyſe egerat, religioſè honoraret, eo quod ſanctus eſſet; Exodi 3. & Act. 7. *ſolue calceamenta* (eſt hoc honoris ſacri, & venerationis genus etiam hodie apud Turcas, & Africanos in vſu, non enim ſacratiorem locum, aut ſuas Moſcheas calceati ingrediuntur) *de pedibus tuis, locus enim, in quo ſtas, terra ſancta eſt*. Ergò ſanctitas loci, vel alicuius alterius rei, ex ſcripturis, eſt cauſa, quòd ille locus vel res debeat religioſe honorari.

Minor propoſitio, iam probatur. Nam in primis, Cur Reliquiæ crucis Chriſti & Sanctorum non ſint ſanctæ? an fortè quod inanimæ? at ſic nec arca, nec ille locus in quo Deus cum Moyſe egit, Sanctus fuiſſet, aut venerandus. Deinde arca in ſcripturis ex duplici cauſa dicitur ſancta, & veneranda (aut ſi hæc duplex ratio ſimul non eſt cauſa, ob quam arca ſancta fuerit, & locus etiam ſanctus, dic tu aliam). Primo: Quia Deus per illam (tamquam per aliquid quod vo-

NB. Arca, & huiuſmodi alia res dicuntur in ſcriptura res ſancta, quia habent

luit agnoſci, peculiare ſuum, & vt tale honorari) operatus eſt mira; at idem facit per Reliquias Sanctorum. Niſi fortè ſit mendacium & illuſio. quod refertur 4. Reg. 13. quod oſſa Eliſæi, cùm ea cadauer mortui tetigiſſent, mortuum continuo ad vitam reuocarint. Niſi fortè etiam mentiatur S. Gregorius Nazianz. orat. in Cyprianum, cùm ita habet: Omnia poteſt puluis Cypriani cum fide, vt ſciunt hi, qui & experti ſunt ipſi, & miraculum ad nos vſque tranſmiſerunt. Et S. Chryſoſtomus in lib. cōtra Gētiles de Reliquijs S. Babylæ Martyris, quando ita ſcribit: Sententiæ noſtræ abundè fidem faciunt: quæ quotidiana à Martyribus eduntur miracula. Et S. Auguſtinus lib. 22. de Ciuit. Dei, tot miracula, dicens, facta ad reliquias S. Stephani breuiſsimo tempore, vt libri integri ſcribendi eſſent, ſi omnia referri deberent.

rationem rei peculiariter omnino ad Deum ſpectantis, eaſque Deus vult agnoſci & vocare peculiariter ſuas, & vt pro talibus habeantur, & honoren tur. per ipſas mira operatur.

Hæc, inquam, ſi non ita ſe habent, viri iſti ſancti perniciosè mentiti ſunt in fauorem Idololatriæ; ſic enim hæretici cultum ſanctorum, & Reliquiarum venerationem vocant.

Demùm, ſi quæ diximus, non ſunt vera, mendaces ſunt Principes, Tribunalia ſeueriſsima & ſagaciſsima, Doctores Theologiæ, Iuris, Philoſophiæ naturalis: qui omni cautela iuris adhibita, teſtibus oculatis ſub iureiurando examinatis; adhibitis etiam ijs, quæ ipſimet proprijs ſenſibus perceperunt, & percepiſſe iureiurando affirmant, & conſtantiſsimè per Notarios iuratos publicè proteſtantur: hoc & illud miraculum ſupra omnes naturæ vires circa huius vel illius ſancti Reliquias accidiſſe. Vide Horatium Turſellinum in vita B. Franciſci Xauerij; recognoſce proceſſus iuridicos, qui fiunt circa Canoniza-

tio-

Digitized by Google

tionem, vt loquuntur, Sanctorum: etiam hoc tempore S. Caroli Borromæi, B. Ignatij Loiolæ, & aliorum.

Secunda cauſa, ob quam Arca illa dicebatur ſancta, & locus ille ſanctus erat; quia & hęc & ille habuerunt rationem rei peculiariter ad DEVM ſpectantis, ſcilicet ſedis; vel loci, in quo Deus per Angelum locutus fuerat: (& ideò etiam Deus opera illorum, tanquam re peculiariter ſua, mira faciebat) at nonne magis peculiariter rationem rei ad DEVM ſpectantis habet ſacroſancta crux Chriſti; in qua non Angelus Dei, ſed ipſe DEVS in propria perſona, opus noſtræ ſalutis conſummauit? cuius Crucis mera vmbra fuit illa arca.

Nonne etiam conſtat: corpora Sanctorum habitaculum fuiſſe Spiritus ſancti; & vaſa ſeu inſtrumenta electa, per quæ Spiritus ſanctus & eſt locutus, & mira egit? ita vt vel ſola ipſorum vmbra ſanaret infirmos. Act. 5. Quam rationem veteres Patres paſsim adferunt: quando ad venerationem Sanctarum Reliquiarum animos hominum excitare volunt.

Cùm ergo crux Chriſti, & cæteræ Reliquiæ ſint aliquid peculiare Dei, & Deus per ipſas, vt per rem peculiariter ſuam, mira operetur: cur non ſint ſanctæ, æquè ac arca, & locus, de quibus ſuprà. quod ſi æquè, aut magis ſanctæ: cur etiam non, vt ſanctæ venerandæ?

Cur ergo iam Lutherus obijcit, Reliquiarum, ſiue ſanctarum rerum cultum hoc efficere, vt homines auocentur à cultu DEI; cùm non colantur, niſi ex affectu pietatis in Deum; ſcilicet, qua ſunt aliquid peculiare veri DEI, & Spiritus ſan-

NB. Apud noſtros hæreticos omnia ſunt prophana: nil eſt ſanctum.

Digitized by Google

ſancti? ſicut factum fuit cum arca Dei, & loco illo Moyſis.

id eſt, ſacro cultu venerandum, tamquã id quod Deus vult agnoſci & honorari, vt rem peculiariter ſuam, id eſt, vt ſuum diem, ſuum Tabernaculum &c.

Accedit, quod nullus, dum hæc, tanquam quid peculiare veri Dei honorat; decreſcat in honore & cultu Dei; quin potius inflammetur ad amandum & honorandum Deum, cuius honorem hæc ſpectant. Hinc eſt, quod, quò quique in amore Dei & cultu clariores fuerunt, eò maiorem pietatem & zelum erga Reliquias Sanctorum oſtenderunt: vt diſcere potes ex Hieronymis, Auguſtinis, & aliis ſapientiſsimis & pijſsimis viris, capite ſuperiore relatis. E contrariò verò non niſi impij (vel ſimplices ab impijs ſupplantati) huiuſmodi ſancto cultui obmurmurauerunt; cuius farinæ ſunt Vigilantius & Lutherus cum Caluino; quorum impietas & imprudentia ex proprijs ipſorum dictis & ſcriptis ita ad oculum à pluribus Authoribus eſt authenticè expreſſa (maximè à Piſtorio, Conrado Vetter, Bolſeco, Brigero) vt iam paſsim Lutheranos & Caluiniſtas ſuorum primorum pudeat.

Sed fortaſsis honor Reliquiarum adimit honorem Chriſto? Nequaquam. Nam ſicut Ioannes Baptiſta nihil honoris detraxit Christo, quando & ipſi corrigiæ calceamenti tantum detulit, vt non obſtante omni ſua ſanctitate dixerit: ſe *indignum, vel corrigiam calceamenti illius ſoluere*; & ſicut Hæmorrohiſſa ex affectu fidei ſolam fimbriam veſtis Christi tangere deſiderans, nihil honoris Christo diminuit; ita nihil detrahit honori Dei; quando non ſolùm ipſum, ſed etiam ſcabellum pedum ipſius, tanquam ſanctum honoramus. Imò quo quis plus non tantum ſoli

Deo

DEO, ſed & rebus minimis, quæ peculiariter ſunt DEI, defert honoris; eò maiorem reuerentiam & amorem erga Deum habere ſe oſtendit.

Quod ſi Chriſtus; (inquit, præclarè Bellarminus) hic adeſſet, & nos veſtem eius deuotè, vt fecit Hæmorrhoiſſa, oſcularemur; continuò Lutherus & Caluinus exclamarent: nos Idololatras? & quam fœdi vſus incurrerent in ſpurciſsimam Lutheri mentem (quam maximè in ſuis ſympoſiacis expreſsit non ſine diuino iudicio, vt ſcilicet ſibi ipſi omnem authoritatem detraheret apud quemlibet prudentem; Vide verò illa ſympoſiaca collecta à IOANNE AVRIFABRO & edita ab vrbano Geubiſch. Anno 1566. vide, inquam, potiſsimum fol. 37.6. fol. 38. fol. 30.5. & iudica, fœdiuſne aliquid excogitari potuerit vnquam iſto ſordido homine) ſi illi offerrentur ſemicinctia illa Pauli, & ſudariola Act. 5. quæ ſanè certatim (&, ſine dubio ex affectu fidei, reuerenter) deferebantur ad ægrotos, quibuſque ſanabantur. Recole ex fine præcedentis capitis quid Luthero occurrerit circa crucem Domini.

NB. Hoc eſt vas Electionis prædeſtinatum ad reformandam Chriſti Eccleſiam! quis credat?

Nec obijcias PAVLVM ad Coloſſ. 2. damnantem omnem cultum arbitrarium; vel, vt alij legunt, ſuperſtitioſum. Reſpondetur enim: non arbitrario, ſeu non ex capite noſtro, nec gratis: multò minùs ſuperſtitioſè, exhiberi cultum ijs rebus, quas DEVS, per Scripturas vult, vt honoremus; quia ſcilicet ſunt res ſanctæ; per quas nimirum, ſeu, in quibus DEVS mira operatur, tamquam per res, ſeu, in rebus, quæ ſint peculiares ipſius: & quas ipſe vult peculiariter

Digitized by Google

liariter agnoſci, & vocari ſuas: puta, ſuum tabernaculum, ſuum locum, ſuum diem, ſuum inſtrumentum, quomodo Scripturæ loquuntur de quibuſdam diebus, locis &c. ea ſancta, &, quid Dei ſingulariter, vocando.

NB. Res ſanctæ, id eſt, res, quæ ſunt peculiares Dei & quas Deus vult agnoſci, vocari, & honorari, tanquam res peculiariter ſuas, & per illas, vt res peculiariter ſuas, mira operatur; huiuſmodi (inquam) res altiori cultu ſunt colendæ, quam res merè humanæ, ciuiles, & prophanæ, iuxta illud Leuitici. 10. habeatis ſcientiam diſcernendi inter ſanctum, & prophanum. Vide illud Caput.

Et ſicut honor, qui ob reuerentiam Principis defertur perſonis, & rebus quæ ſunt ſingulariter Principis, refunditur in principem: Princepſque non ſolum ſibi, ſed etiam talibus perſonis & rebus vult ſingulariter deferri: ſic & Devs, vt manifeſtum eſt in Arca &c. Nolle autem reuereri, niſi ipſummet Principem, ipſummet Devm, non etiam perſonas, & res, quas Princeps & Devs vult vt reuereamur, tanquam res ſingulari titulo ſuas: eſt intolerabilis impudentia. &c.

SYNO-

SYNOPSIS SEPTIMÆ CONTROVERSIÆ, DE CVLTV ET VENERATIONE SACRARVM IMAGINVM.

RES ſanctæ, quà ſanctæ, religioſè, ſeu ſacro cultu, ſunt venerandæ, vt præcedenti Controuerſia, ex Scriptura, eſt demonſtratum; at Imagines DEI veri, Chriſti, & Sanctorum ſunt res ſanctæ, ſunt enim aliquid peculiare Dei (nam omnis Imago propria eſt, peculiariter illius, cuius eſt imago; ita vt quilibet in ſua Imagine erecta vel deiecta ſe honorari vel deſpici intelligat) & DEVS in noua lege per eas, (tanquam per res quas vult agnoſci, & haberi peculiariter ſuas, & vt tales honorentur) mira operatur, (quod tam certâ & indubitata fide, quam in præcedenti Controuerſia de Reliquijs, diximus, conſtat). Ergo vt ſanctæ ſunt colendæ, & non tantum, (vt volunt aduerſarij) cultu Ciuili. ſanctum enim, quà ſanctum, altiori cultu venerandum eſt, quam quod ciuile & prophanum eſt; iuxta illud Leuit. 10. *Habeatis ſcientiam diſcernendi inter ſanctum & prophanum.* Porrò, dum Caluinus adducit Concil. Elibertinum, vt probet in Eccleſia non debere eſſe Imagines, proprio gladio ſe iugulat. illud enim Cõcilium, quod ante quingenteſimum Chriſti annum eſt celebratum, itamquam rem indubitatã & conſtantem ponit, Imagines ſacras, rectè ſa-

cro cultu coli ſeu adorari; & inde decernit, eas non debere pingi in pariete Eccleſiæ, quod enim colitur, (inquit Concil.) aut adoratur, non eſt pingendum in pariete: ſcilicet propter periculum variæ irreuerentiæ; Placet ergo (inquit Concilium) in Eccleſia non debere eſſe picturas (id eſt Eccleſias non debere depingi imaginibus ſacris) ne quod colitur aut adoratur: (hæc ratio Concilij nulla eſt; niſi ſupponatur: eiuſmodi picturas debere coli ſacrè) pingatur in pariete.

SEPTIMA CONTROVERSIA,

DE CVLTV ET VENERAtione Sacrarum Imaginum.

CAPVT I.

Imagines Dei, Chriſti, & Sanctorum; ſacro cultu, & veneratione dignas eſſe, probatur.

RES ſanctæ, quâ ſanctæ, religioſè, ſeu ſacro cultu ſunt venerandæ; Imagines DEI, Chriſti, & Sanctorum ſunt res ſanctæ; ſunt igitur religione, ſeu ſacro cultu venerandæ. Propoſitionem Maiorem cap. 2. ſuperioris Cõtrouerſiæ, demonſtrauimus. Minor propoſitio, patet; quia Sãctum eſt, quod habet rationem rei peculi-

peculiariter ſpectantis ad DEVM, vel Chriſtũ; (huiuſmodi fuit Arca illa, dicta ſcabellum pedum DEI, & huius generis alia; quare, licet omnia ſint DEI; aliqua tamen DEVS vult magis peculiariter haberi pro re ſua; & fimbria, quam ex affectu fidei tetigit hęmorrhoiſſa, fuit quidpiam magis peculiare Chriſti, quam fimbriæ veſtium aliorum, qui Chriſtum comitabantur) & per quod DEVS (tanquam per rem, quam ſingulariter ſuam vult honorari) mira operatur: at Imagines DEI, Chriſti, & Sanctorum, ſunt aliquid peculiare DEI, (omnis enim imago propria eſt, & peculiariter illius, cuius eſt imago, ita, vt quilibet in ſua imagine erecta vel deiecta ſe honorari vel deſpici intelligat) & tam certâ ac indubitata fide, quam cap. 1. præcedentis Controuerſiæ diximus, conſtat: DEVM in noua lege per Imagines ſuas, CHRISTI, & Sanctorum ſuorum, mira operari: ergo, vt Sanctæ, ſunt colendæ.

SECVNDÒ. Si ſacræ Imagines non ſunt colendæ, ideò potiſsimum non ſunt colendæ, quod illarum cultus ſit Idololatria: hoc, ſi ita eſt, mendacij argui poſſunt Prophetæ, qui paſsim (ſcilicet Zachar. 13. Soph. 2. Naum. 1. Iſai. 30.) prophetarunt: per Chriſti aduentum extingui debere Idololatriam, maximè in populo DEI, credente in Meſsiam: mendacij, inquam, argui poſſunt Prophetæ. à principio enim Eccleſiæ, per ſequentia ſæcula omnia, fuit ſemper cultus ſacrarum Imaginum apud populum credentem in Chriſtum, & quidem apud ſuprema in Eccleſia capita, id eſt, apud Patres doctiſsimos, & ſanctiſsimos illius populi; vt patet ex euidentiſsimis teſtimonijs SS. Patrum primitiuæ Eccleſiæ,

Digitized by Google

relatis ad verbum à Bellarmino lib. 2. de Imaginibus cap. 12. Hiſtorias (inquit Baſilius in Iulianum) imaginum illorum honoro, & palam adoro; hoc enim nobis traditum à Sanctis Apoſtolis, non eſt prohibendum &c. Talia habent & cæteri, & Concil. Nicenum ſecundum act. 6. tom. 4. in principio ſic habet: Quòd autem cum multis al js, quæ in Eccleſia celebrantur, ſine Scriptura (Chriſti & Apoſtolorum) nobis imaginum veneratio tradita ſit ab Apoſtolorum temporibus, latè per hiſtorias traditum eſt; de imagine maximè Hemorrhoiſſæ, quam multis Scriptoribus confirmare poſſumus. Sic Patres in illo Concilio.

Tertiò. Si in honorem Regum, & Principum, licet pingere eorum imagines, eiſque deferre, vt concedunt ipſi quoque Lutherani & Caluiniſtæ; cur non licet pingere imagines Dei, Chriſti, & eorum, qui conſtituti ſunt à Deo principes ſuper omnem terram, id eſt, Apoſtolorum, & aliorum? Reſpondent, cultu ciuili coli poſſe, verum eſt, imagines Principum terrenorum, quos tantum ciuili cultu colimus; cultu etiam tantum ciuili eſſe colendas: ſed, cùm Deum, Chriſtum, eiuſque Sanctos altiori cultu, quam ciuili, colamus; ea quoque, quæ ipſorum ſunt propria, quà talia, cultu altiori ſunt colenda, id eſt, tanquam ſancta. Sanctum autem, quà ſanctum, altiori cultu venerandum eſt, quam quod tantum humanum, ciuile, & prophanum eſt: ſcilicet, cultu religionis, ſeu ſacro, iuxta illud Leuit. 10. *Habeatis ſcientiam diſcernendi, inter ſacrum & prophanum.* Vide omnino illud Caput.

CAPVT

Digitized by Google

CAPVT II.

Soluuntur obiectiones Aduerſariorum; &, num in veteri lege, omni ſculptile prohibitum fuerit? diſcutitur.

OBIICIVNT 1. Cultus rei inanimatæ eſt Idololatria; imagines ſunt res inanimatæ, Cultus igitur earum, Idololatria eſt. Reſpondetur: venerari rem inaminatam, tanquam Deum, eſt Idololatria; colere vero rem inanimatam, non quod ipſa ſit DEVS; ſed tantum vt eſt peculiare aliquid veri DEI, id eſt, vt eſt tantum Imago DEI, non ipſemet DEVS; non eſt idololatria. Et S. Ioannes, deferendo ex fide, corrigię calceamenti Chriſti, habuiſſet affectum Idololatricum. & Hemorrohoiſſa, venerando ex fide fimbriam Chriſti; commiſiſſet Idololatriam.

Objiciunt 2. *Exodi.* 20. *v.* 4. *Non facies tibi ſculptile.* Reſponderi ſolet, vt nimirum adores illud tanquam DEVM. Verum eſt: finem legis fuiſſe illum; tamen ad obtinendum hunc finem, lex illa, vniuerſaliter omne prorſus ſculptile videtur prohibuiſſe; ſic enim habet; *Non facies tibi ſculptile, neque omnem ſimilitudinem.* (id eſt, nullam omnino) *quæ eſt in cœlo deſuper, & quæ in terra deorſum, &c.* vnde, ſi lex omne prorſus ſculptile prohibere voluiſſet: quomodo id efficacius deſcribere potuiſſet, quam dictis verbis? Deuteron. etiam 4. v. 15. Moyſes ait; *Non vidiſtis aliquam ſimilitudinem in die, qua locutus eſt vobis Dominus in Horeb: ne forte decepti, faciatis vobis ſculptam*

ſculptam ſimilitudinem, aut imaginem maſculi aut fœminæ ſimilitudinem omnium iumentorum, quæ ſunt ſuper terram; vel auium, ſub cœlo volantium, atque reptilium, quæ mouentur in aquis, Lunam, & omnia aſtra cœli; & errore deceptus, adores ea, & colas quæ creauit Dominus Deus &c.

Ex illis verbis, *Non vidiſtis aliquam ſimilitudinem, ne forte* &c. patet, DEVM non tantum prohibuiſſe ſculptile DEI alieni (ſeu, quod, vt Deus adoretur) ſed, nec voluiſſe quidem vllam imaginem ſui, in qua ipſe adoraretur; ideò enim dicit, ſe ſtudio, nullam ſui imaginem corpoream in monte Horeb, exhibuiſſe.

Ob hæc verba, aliqui etiam Catholici DD. vt Abulenſis in cap. 4. Deuteron. 9. 5. & Durandus in 3. d. 9. q. 2. ad 3. & alij, dicunt, DEI imaginem non debere fingi. Neque vero inter Catholicos, tam indubitatè certoque ſemper conſtitit, faciendam eſſe imaginem DEI, & Angelorum Spiritualium: quam Chriſti & Sanctorum: tum ideò; quod imago Dei, allegatis iamiam Exodi verbis, peculiariter videatur prohibita; tum quod imago corporea Dei, & Angelorum, det occaſionem cogitandi falſa de Deo & Angelis; ſcilicet ipſos eſſe corporeos; habere oculos &c. non autem imago Chriſti & Sanctorum, quæ verè rem repræſentat.

Sed, neutra harum rationum valet aliquid: ſi enim imago Dei ideò prohiberi debet, quia dat occaſionem cogitandi, DEVM eſſe corporeum; prohiberi etiam deberet ſacra Scriptura, quæ paſsim dicit DEVM habere oculos, quibus nos videat; aures, quibus preces noſtras audiat; viſcera, quibus ad pietatem, iram, dolorem cordis intrinſecum vt Gen. 6. dicitur, commoueatur.

NB. Si imagines Dei ſunt. prohibendæ,

Non-

Nonne vero hæc ſuggerunt, Deum eſſe corporeum? ſunt igitur hæc omnia comburenda; & in primis noſtra imaginatio, quæ Deum nobis nunquam alio modo, quam corporeo obijcit.

quia tam occaſionem cogitandi, Deum eſſe corporeum: ſacra ſcriptura, & noſtra imaginatio primo eſt comburenda. &c.

Prima etiam ratio nihil valet. Non enim tam Dei, quam cuiuſcunque alterius rei imago, verbis illis prohibetur; quia textus abſolute, & vniuerſim loquitur de ſculptili cuiuſcunque rei, imo potius iumentorum, auium, reptiliumque imaginem exprimit; quàm Dei: vnde textu illo potius iſtorum imago quam Dei, intelligitur prohibita. Præterea, ideo textus ita vniuersè, omne ſculptile iumentorum, auium, reptiliumque prohibuit; vt populo illi, ad idololatriam, vt patet ex Scriptura, prono ſupra modum, auferretur omnis occaſio idololatrandi: at, tàm ſculptilia aliarum rerum, potuerunt eſſe occaſio, &, de facto fuerunt, & quidem magis, occaſio idololatrandi Hebræis, quàm ſcupltiſe veri Dei (vt patet in ſerpente illo æneo, qui animal tantùm repræſentabat, & tamen occaſio fuit idololatrandi, & propterea ab Ezechia fuit confractus, licet ipſemet Deus iuſſerit illum fieri) ergo illa lege, potius alia ſculptilia, quam ſolius veri Dei, intelliguntur prohibita.

Dicendum ergo cum Halen. Alberto, Bonauentura, Richardo, Marſilio, Paludan. &c. in 3. d. 9. Deum, in veteri teſtamento illi populo peculiariter, ob ſummam illius ad idololatrandũ procliuitatem, omne genus ſculptile prohibuiſſe; atque adeo etiam ſui ipſiuſmet; hoc tamen præceptum, tantâ vniuerſitate latum, non fuit naturale, ſed merè cœremoniale (ſicut & Domini præceptum quatenus præcipit diem Sabbati

NB. Primum præceptum quà prohibet cultum, & ſculptile Dei alieni, eſt naturale, quũ vero prohibet omne genus

ſculptile, fuit cœremoniale, proprium populi Iudaici, propter peculiarem procliuitatem idololatrandi.

bati ſanctificare, eſt cœremoniale) proprium illius populi, & peculiariter illi præſcriptum, ad auferendam omnem occaſionem poſsibilem idololatrandi, illi, qui in errorem idololatrandi erat ſumme procliuis. Vnde, hoc præceptũ, qua cœremoniale, ſicut & cætera cæremonialia propria illius populi, cum ſynagoga eſt ſepultum, ſtatim tempore Apoſtolorum, vt diſcimus ex Baſilio, & ex Concilio Nicæno ſupra; & ex perpetua praxi Eccleſiæ, quia à principio Eccleſiæ conſtat, omni ſæculo viros, qui cæteris omnibus ſanctitate & doctrina Eccleſiaſtica præfulſerunt, imagines crucifixi, & Sãctorum coluiſſe, vt oſtendunt eorundem teſtimonia luculentiſſima, ad verbum à Bellarmino, ex ipſorum monumentis excerpta: & nos infra ex Concil. Elibertino conuincemus.

Merito autem lex illa cæremonialis, omnem imaginem, etiam veri Dei prohibens, eſt in populo Chriſtiano abrogata: quia quando lex propter ſolum abuſum aliquid prohibet, per ſe decens & bonum, ceſſante illo abuſu, id, quod per ſe eſt bonum, debet habere vim; at facere imagines Dei, Chriſti, & Sanctorum, vt in illis ipſos honoremus, eſt per ſe bonum (quia cedit in honorem ipſorum; qui enim, inquit Ambroſius, ſerm. 10. in pſalm. 118. imaginem honorat Imperatoris, vtique illum honorat; &, qui ſtatuam Imperatoris contempſerit; Imperatori vtique videtur feciſſe iniuriam) ergò non prohibendum, niſi per accidens, quando ſcilicet periculum eſt abuſus vniuerſalis (vniuerſalis, inquam, alioquin enim, quid eſt tam ſanctum, quo aliquis aliquando abuti non poſsit?) quale periculum fuit in illo populo, qui ob ſummam eius

in ido-

Digitized by Google

in idololatriam pronitatem, facile ſibi perſuadebat ſculptilia, eſſe Deos; hæc autem facilitas & procliuitas iam non eſt, quando ſpiritus ille tenebrarum idololatricus, colendi ſculptilia, ac ſi ipſa eſſent Deus, eiectus eſt per lumen gratiæ Chriſti; quem eijciendum per Chriſtum, Prophetæ prædixerunt; quemque iam eiectum ex populo cultore veri Dei, experiētia conſtat. nec enim in populo Chriſtiano apparet illa procliuitas, quæ fuit olim in Hebręis, ad idololatrandum, ſeu colendum ſculptilia, tanquam ſi ipſa ſint Deus noſter; & non ſolum imago, in qua ſcilicet vnum verum DEVM inuiſibilem honoremus.

CAPVT III.

Pro pleniori doctrina magis explicatur, num in veteri lege, omne ſculptile, fuerit vetitum?

QVAERES, ſi Deus prohibuit omne ſculptile, quomodo ergo Exodi 25. iuſsit fieri Cherubim ſuper Arcam? & Exodi. 35. *dicitur Deus dediſſe duobus viris, Beſeleel, & Ooliab Spiritum ſuum, ſapientiam, & animum ad ſculpendum, & excogitanda multa circa tabernaculi ornatum?* Reſpondet quidam, lege veteri non fuiſſe vetitam omnem ſimilitudinem ſeu effigiem quomodocunque, ſed omnem effigiem accommodatam adorationi. Modus autem accommodatus adorationi (inquit ille author) eſt, cùm imago depicta aut ſculpta eſt per ſe, ſeu erecta & conſtituta, non velut appendix & additamentum alterius rei, in ornatum illius: Nam quoties ſi-

es figura aliqua velut appendix & additamentum alicuius operis ponitur; ad nullam ſui adorationem mouet; ſed in totum potius opus, animus intendit; veluti cum B. Virgo pingitur in cœlum ab Angelis aſſumpta; animus adorantis in ſolam Virginem fertur, non in Angelos, qui ipſam ſubleuant: maiori autem ratione id faciet: ſi in purum ornamentum operis pingatur. Tales erant Cherubinorum figuræ, & quotquot in templo Salomonis, & aulâ ſunt repertæ: ſcilicet tantum vt appendix & parerga ad ornatum operis. v.g. Arcæ, cui quidem honor deferebatur: ſed, quia non habebat rationem ſimulachri, nec vlla gens fuit tam ſtupida, quæ Arcam id eſt, capſam veneraretur, vt Deum; vnde in illa nullum fuit periculum idololatriæ, & multo minus in Cherubim, qui erant tantum parerga Arcæ.

Sed huic doctrinæ obſtant hæc 1. Quia lex vniuersè loquitur de omni ſculptili. 2. quia Num. 20. poſtquam iam Deus dederat illam legem, iuſsit fingi ſerpentem æneum, & erigi, ſeu per ſe conſtitui; non velut appendicem & additamentum alterius: ergo falſum eſt; in veteri lege, omnia ſculptilia, fuiſſe tantum additamenta, nullum per ſe erectum: quod idcirco eſſet occaſio idololatrandi. Confirmatur: quia præter Cherubinos affixos Arcæ, plurimi alij Cherubini ſeorſim in parietibus templi erant collocati 3. Reg. 6. v. 29: *Et omnes parietes templi per circuitum, ſculpſit varijs cælaturis, & fecit in eis Cherubim.*

Reſpondendum ergo: DEVM illa ſua lege prohibuiſſe generatim & vniuersè omne ſculptile; ſed, vt intelligeretur, illud non eſſe ex ſe malum,

malum, ſed tantum in remedium nimiæ procliuitatis populi ad idololatriam, illi populo peculiariter prohibitam; ideo iuſsit ipſe met DEVS; varia, ſaltem vt additamenta; imò quædam etiam per ſe, ſculpi: qualia fuerunt Cherubim in parietibus templi, & ſerpens; qui antequam coleretur à populo, vt Deus, non fuit confractus, vt intelligeretur ſculptile, non ſuâ naturâ; ſed tantum, quia populo illi, erat facto ipſo occaſio abuſus idololatrici: eſſe prohibitũ. & propterea, etiam in ipſa lege DEVS expreſsit, ſe, propter abuſum, quæ circa ipſammet imaginem DEI, in populo tam procliui ad idololatriam, eſſe poſſet: (ne fortè, inquit, decepti faciatis &c.) lege ita vniuersè omne ſculptile interdixiſſe; iumentorum, auium, reptilium, &c.

Quod ſi hæretici omnino volunt, legem illam, illa vniuerſalitate, quâ Iudæis fuit data, etiam nunc vim habere: tunc ſicuti illi, nullam poterant facere aut habere imaginem, niſi quam Deus ipſemet præſcripſerat, ſcilicet Cherubim, ſerpentem, vel ſimilia quædam additamenta. (vnde etiam hodie, nullius Regis aut hominis ſculptile Iudæi habent) ita hæretici, præter illas dictas nullam prorſus ferre deberent, (&, vt legis illius populi, eſſent planè obſeruantes, ſabbatum, vt Decalogus præſcribit, non diem Dominicum celebrare deberent. ſed mira peruerſitas: quòd qui perpetuo clamant, ſe ſolutos omni lege, vt in I. Controuerſia vidimus: ibi ſolum velint eſſe ligati, vbi Eccleſia ab Apoſtolorum temporibus, vſque ad nos ipſa praxi docet, ſe ſolutam) & tamen loco Chriſti, B. Virginis, Sanctorumq; in quibuſdam Lutheranorum templis, Lutherus & Melancthon depingitur; &

 in

Digitized by Google

in Caluiniſtarum delubris, Principum ſtatuæ viſuntur. Et, ſi quis cæteris paulò doctior, vel turbulentior prædicans eſt: illicò imaginem eius fingi, fundique videmus; & Francofurti venum exponi.

Intelligunt ergo, hi tenebriones: imaginem cedere in honorem ipſius, cui erigitur. cur ergò & imago Dei non cedat in illius honorem: quando in illa Deum honoramus? cur ergo etiam non ſculpenda? niſi fortè ex accidenti pateret illius abuſus notabilis in populo; huius autem abuſus iudicium, non à Luthero & Caluino (quorum in loquendo & ſcribendo impudentia & impietas, ruborem & pudorem ipſorum quoque poſthumis filijs intulit) eſt petendum; ſed ab Eccleſia, ſacra Dei ſponſa: vt Eccleſiam, quæ primis quingentis à Chriſto annis floruit; vocat Caluinus lib. 4. Cap. 2. §. 3. ſed poſtea cap. 11. §. 13. mentitur: tunc Chriſtiana templa fuiſſe communiter ab imaginibus vacua.

Vide c. 7. Contr. 1. in initio, & c. 2. 6. Controuerſia 6. poſt mediũ.

Euſebius enim lib. 3. & 4. de vita Conſtantini, Damaſus in vita Sylueſtri, Nazianzenus Epiſt. 49. Gregorius Niſſen. oratione in Theodorum in principio, Baſilius oratione in S. Bariaam, Gloſſa Chryſoſtomi, quam Eraſmus Latinam fecit; Euodius lib. 2. de miraculis S. Stephani; Prudentius in lib. de S. Caſsiano, Auguſt. de conſenſu Euangeliſtarũ, qui omnes primis illis quingentis annis vixerunt; faciunt mentionem imaginum, in templis Chriſtianonorum poſitarum.

At obijcit Caluinus: Concilium Elibertinum quod can. 36. ſic habet: *Placuit, inquit, in Eccleſia picturas eſſe non debere; ne, quod colitur,*

aut

Digitized by Google

aut adoratur, in parietibus depingatur. Sed ex hoc concilio prorſus confunditur Caluinus; quia inde habetur tunc imagines cultas & adoratas fuiſſe. hoc enim Cōcilium illud (quod ante 500. Chriſti annum fuit celebratum,) tanquā indubitatum ſupponit; & inde infert: Ergo picturæ non debent eſſe in Eccleſiâ, ſeu Eccleſiæ non debent eſſe pictæ. Syllogiſmus in forma eſt iſte: Quod colitur, & adoratur; non eſt pingendum in pariete Eccleſiæ: Imagines ſacræ coluntur & adorantur: Ergò non ſunt pingendæ in pariete; ſeu: Ergo picturæ non debent eſſe in Eccleſia; ſeu, Eccleſia non debet eſſe picta. Vbi nota: Concilium pro eodem accipere, Non debere pingi imagines in pariete Eccleſiæ; &, non debere eſſe picturas in Eccleſia. Ideo enim, poſtquam poſuit Concluſionem probandam, ſcilicet in Eccleſia non debere eſſe picturas, aſſumit pro medio: Quia id, quod colitur, non debet pingi in pariete, at, ſi non eſt idem: picturas non debere eſſe in Eccleſia, & imagines non debere pingi in parietibus Eccleſiæ: tunc Concilium non debuiſſet aſſumere; Quia id, quod colitur, non debet pingi in pariete; ſed debuiſſet aſſumere; Quia id, quod colitur, non debet eſſe in Eccleſia; hoc enim erat probandum; vnde, hoc in maiori propoſitione erat aſſumendum, alioquin maius extremum concluſionis, quod eſt, picturas non debere eſſe in Eccleſia, in neutra præmiſſarum reperiretur: & proinde argumentum nihil concluderet. Poteſt enim concedi maior propoſitio: ſcilicet id, quod colitur, non debere pingi in pariete; poteſt concedi & minor, ſcilicet, Imagines eſſe colendas; & nihilominus negari poteſt concluſio, Ergò non debent eſſe in

Eccleſia: pœnam enim illas in Eccleſia, ita, vt non ſint pictæ in ipſo pariete.

Eodem modo, etiamſi argumentum, vt fecit Conciliũ, proponatur enthymematicè, dicaturque: Id, quod colitur: non debet pingi in pariete; Ergò imagines non debent eſſe in Eccleſia; reſpondebo ego negando conſequentiam: quia ponam imagines in Eccleſia, non pingendo illas in pariete.

Patet ergo euidentiſsimè: Concilium accepiſſe: picturas non debere eſſe in Eccleſiâ, pro eo, quod eſt: Eccleſia non debet pingi ſacris imaginibus; ſeu: in parietibus non debent pingi imagines ſacræ.

Præterea, quæ eſt ratio, ob quam id, quod colitur, & adoratur, non debeat eſſe in Eccleſiâ? niſi per Eccleſiam (quæ alioquin eſt locus aptiſſimus diuino cultui) intelligatur aliquis locus minus decens pro re, quæ adorari debet, ſcilicet paries, (vt ipſummet Concilium exprimit) in quo & iudicauit, eſſe indecens pingi id, quod coli & adorari debeat.

Senſus ergo concilij eſt; In Eccleſia non debēt eſſe picturæ; id eſt, Eccleſia non debet pingi ſacris imaginibus; ſeu: in parietibus non debēt pingi imagines, eo, quod ſit indecens, id, quod ad adorandum & colendum proponitur, adhærere parieti. Maior eſt enim reuerentia, ſi in aliqua Tabella, aut alio modo per ſe ponatur. Ac, decruſtato pariete, quod per ſtillicidia, & humiditatem parietis facilè fit, imagines pictæ, nimis fœdantur; &, ſi iniuria temporum & bellorum accidat, templum in prophanum vſum verti; paries, in quo Sacræ imagines depictæ erant, nimiæ irreuerentiæ exponatur, eſt neceſſe. Atque hinc eſt,

eſt, quod in hodiernum diem in Hiſpania, vbi Concilium illud fuit celebratum, nullæ fermè videantur imagines in parietibus, vt notat Vazquez, autor Hiſpanus, libro 2. de Adoratione, diſput. 5. cap. 2.

Sicque iam ex Concilio, contra Caluinum demõſtratur, primis illis quingentis annis; Imaginum cultum fuiſſe tunc adeò conſtantem, vt idcirco Concilium pro certo aſſumat illas coli & adorari; ait enim: Placet, in Eccleſijs non debere eſſe picturas, ne id quod colitur & adoratur, (quorſum hoc? niſi eiuſmodi picturis tunc cultus & adoratio exhibita fuiſſet?) pingatur in pariete: quia nimirum periculo nimiæ irreuerentiæ exponitur; à quo liberatur, ſi quod coli & adorari debet, non in pariete, ſed in tabella pingatur, aut ſculpatur, atque in templo, quod rei, quæ colitur, eſt locus aptiſsimus, reponatur. &c.

(*.*)

SYNOPSIS

OCTAVÆ CONTROVERSIÆ, DE TRADITIONIBVS. &c.

SVPREMA Regula fidei Chriſtianæ, vnde Eccleſia ſumit articulos fidei, (neque enim illos ex proprio capite cudit) quos fidelibus credendos proponit, non eſt ſacra Scriptura ſola (vt volunt Aduerſarij) ſed eſt doctrina Chriſti & Apoſtolorum (hinc ad Epheſ. 2. *Eccleſia dicitur ædificata ſuprà fundamentum Apoſtolorum, ipſo ſummo angulari lapide Chriſto Ieſu*) non tã ab ipſis ſcripta quàm voce tradita, & per SS. PP. per Cõcilia, per hiſtoricos Eccleſiaſticos, per vſum vniuerſalis Eccleſiæ, ab ætate Apoſtolorum ad nos propagata. Vnde eo ipſo, quo hac via conſtat aliquid ab Apoſtolis eſſe traditum; eſto id conuinci non poſsit eſſe ab illis ſcriptum: id fides Chriſtiana reijcere non poteſt, cum Chriſtus & Apoſtoli, primi doctrinæ Chriſtianæ authores & Doctores voluerint; illam, non tam per Scripturam, quam potius per Traditionem, & auditum ad nos tranſmittere: vt varijs rationibus euidenter conuinco; poſtquam aperui cauſam, vnde ſit, quod omnes hæretici ad ſolam Scripturam appellent.

OCTA-

Digitized by Google

OCTAVA CONTROVERSIA.

DE TRADITIONIBVS.

CAPVT VNICVM.

An in rebus Fidei, ad ſolam S. Scripturam ſit appellandum?

FVISSE id ſemper conſuetum omnibus hæreticis, vt reiecta traditione Sacra, appellarent ad ſolam Sacram Scripturam; oſtendit optimè Bellarminus lib. 4. de verbo DEI non ſcripto, cap. 8. Cur id fecerint, & hodie quoque faciant: accipe. Quia, cùm in ſola ſacra Scriptura, varia dogmata noſtræ S. Fidei vel nō ſint expreſſa (qualis eſt v.g. numerus ſeptem Sacramentorum, Indulgentiæ, &c.) vel ſaltem non ſint tam clarè expreſſa, quin hæreticorum cauillationes, & calumnias patiantur: ne, accedente Traditione, qua ex hiſtoricis Eccleſiaſticis, Sanctis Patribus, Concilijs, & quotidiana praxi; oſtenditur: à principio Eccleſiæ, illa dogmata fidei noſtræ, ſemper fuiſſe habita pro doctrina, à Chriſto, vel Apoſtolis tradita: ne inquam, hac demonſtratione ſenſibili, ſacris Scripturis, ſacriſque dogmatibus accedente, hæretici penitus contundantur: hinc eſt, quod, quotquot vnquam fuerunt pacis & concordię Eccleſiaſticæ turbatores, ad ſolam ſemper diuinam Scripturam appellarint: non ex reuerentia Scri-

Digitized by Google

pturæ ſacræ,vt in fine huius opuſculi patebit;ſed ex mero pruritu excitandi lites : tùm in Sacrâ Scripturâ, ex proprio capite, & affectu cuiuſlibet interpretandâ:tum in ſacris dogmatibus pro libitu vel admittendis vel reijciendis; quæ lites, audita Traditione,concidunt.

NB. Hæretici ideo Traditione relicta ad ſolam Sacrã Scripturam appellant, vt dogmata fidei in ipſa Scriptura ſacra prorſus expreſſa, turbent: Sic Caluinus turbat veram præſentiam corporis Chriſti in Euchariſtia, in ſacris literis penitus expreſſã, de qua re vide Controuerſiam tertiam: ſic etiam turbant Purgatorium, ridicule torquentes S. Paulum, 1. Corinth. 3. de qua re vide Controuerſ. . cap 3.

Sicut enim,vt Leguleis contentioſis ius & leges claras inuertentibus,& euertentibus, os obſtruatur,efficaciſsimum medium eſt: oſtendere ex continua praxi & vſu tribunalium,hanc vel illam legem in tali ſenſu continuè fuiſſe acceptam,& quotidiano vſui ſubiectam: ita ad obſtruendum os turbulentis in Eccleſia:(Sacram Scripturam ex ſuo capite interpretantibus, ſacraque dogmata pro ſuo arbitratu admittentibus, & reijcientibus) non eſt facilius & efficacius medium: quam oſtendere ab ætate Apoſtolorum,ex continua ſucceſsione temporum, & quotidiana Eccleſiæ praxi,talem locum (quicũque ille ſit) taleque dogma, hoc, vel illo modo acceptum,& accipiendum eſſe. Nec vllum eſt tam euidens ſignum hominis hæretici, & turbarum ſtudioſi in Eccleſia: quàm nolle ad lapidem iſtum Lydium probari: quem, quicunque à principio Eccleſiæ habiti ſunt Doctores orthodoxi,nunquam detrectarunt; ſed ad illum ſemper, conſtanterque appellarunt: quicunque autem habiti ſunt pro hæreticis,illum perpetuò detrectarunt,ad ſolam ſemper Sacram Scripturam appellantes; vt Bellarminus loco cit. oſtendit.

Nunc,ſi reiecta conſuetudine, & Traditione, ſoli & vnicæ Scripturæ ſacræ inhærere velis; Reſponde: vnde habeas: diem Dominicum & non Sabbati celebrandum eſſe? vnde etiam habes,

bes, ſecluſo omni vſu ac Traditione Eccleſiaſtica, iſtis verbis Chriſti: *Hoc facite in meam commemorationem,* contineri præceptum Euchariſtiæ percipiendæ; & non contineri præceptũ lauandi pedes illis verbis Chriſti: *Si ego laui pedes veſtros, debetis etiam vos alter alterius lauare pedes; quod ego vobis feci; & vos faciatis?* Cur iſta verba; *Debetis: Faciatis;* non æquè; imo, cur non magis, præcipiendi vim habent, ac illud, *Facite.*

Niſi ergo dicas: ex praxi & continuo vſu Eccleſiæ conſtare; non eſſe Chriſtianis præceptum, vt ſibi pedes lauent: quomodo vrgenti præceptum, ex illis verbis, *Debetis, Faciatis,* reſiſtere poteris? Quomodo reſiſtere poteris Marcioniſtis, & Cerdonianis, Euangelium Matthæi, & Marci negantibus eſſe legitimum? ſic enim de his hæreticis ſcribit Tertullianus lib. de Præſcript. & lib. 4. contra Marcionem, Irenęus quoque lib. 3. cap. 11. Philaſtrius cap. 45. Epiphanius hæreſi 40. Quomodo reſiſtere poteris Luthero, qui præfatione in nouum Teſtamentum, dicit: non adeo probari ſibi Euangelium Matthæi (quia nimirum Matthæus cap. 7. nimis eum premit Bonis operibus, quæ à Iudice Chriſto regno cæleſti præmianda deſcribit) ſed ſolùm Iohannis Euangelium nomen Euangelij verè mereri; Epiſtolaſque Pauli potiores eſſe ternis Euangelijs? Denique quomodo reſiſtere poteris alijs etiam hæreticis, non admittentibus Euangelium Ioannis pro legitimo? nam tales etiam extitiſſe hæreticos diſcimus ex Philaſtrio cap. 60. Epiphanio hæreſi 11. Auguſtino hæreſi 30. &c.

Quiſquis igitur hac de materia cum tali ge-

Digitized by Google

nere hominum diſceptat: oſtendere non poteſt: Euangelium v. g. Matthæi & Ioannis, & alia, legitima eſſe, (& perinde, doctrinam illis comprehenſam, eſſe genuinam, & à Chriſto traditam, non adulteram,) alia via: quam, quia hæc pro talibus ab initio Eccleſiæ ſemper habita fuerunt.

Si ergo conſtet: quidpiam doctum eſſe, aut actum à Chriſto, vel Apoſtolis; ſi inquam, id conſtet eadem viâ, quâ conſtat: Euangelium Matthæi & Ioannis eſſe genuina, id eſt, ſi conſtet per continuam Traditionem: non poteſt Fides Chriſtiana illud reijcere ex eò ſolo præcisè, quod ab ipſis non ſit ſcriptum.

Conſequentia patet: quia, ſi nō legitimè conſtat id eſſe dictū, doctū, actumuè à Chriſto, & Apoſtolis; quod à principio Eccleſiæ per continuam ſucceſsionem habitum eſt pro dicto, docto, & acto ab Apoſtolis & Chriſto; ergò nec legitimè conſtat Euangelium Matthæi & Ioannis v. g. eſſe legitima, tametſi pro talibus ſemper ab initio Eccleſiæ ſint habita. Si autem quidpiam hac eadem via conſtet, eſſe dictum, doctumue à Chriſto & Apoſtolis; quomodo Chriſti fidelis id reijcere poteſt ex eo ſolo capite, quod non conuincatur eſſe ab illis ſcriptum: cum non ſcriptum, quia ſcriptum; ſed, quia dictum & doctū à Chriſto, & à me admiſſum: me faciat Chriſti fidelem. Quod quidem demonſtratur 1. ſic:

Quia,

NB. *Error aduerſariorum hic eſt. Volunt ſupremam regulam fidei noſtræ eſſe Scripturam ſacram ſolam: Cum ſuprema regula Fidei Chriſtianæ, non ſit quidem Eccleſia ſed doctrina Chriſti, at non tam ſcripta quam potius ore relicta, ſeu ſuprema Regula fidei Chriſtianæ, eſt Deus, olim loquens nobis per Prophetas, nouiſſimè autem per filium; qui non ſcripſit, ſed tantum ore annuntiauit, quæ Deus Pater per illum nobis ſignificari voluit, eiuſque Apoſtoli partim ſcripto partim ore nobis reliquerunt, quæ à Chriſto, non ſcripto, ſed voce acceperunt. &c.*

Digitized by Google

Quia, ſi doctrina Chriſti & Apoſtolorum, non pareret Chriſti fidelem niſi ſcripta: ergo antequam ſcriberetur, non fuiſſet Fides Chriſtiana: at hoc eſt falſum, quia, antequam Matthæus; & poſt illum omnes cæteri Sacri Scriptores Noui Teſtamenti ſcriberent; iam erat Chriſti fides, iam erant & CHRISTI fideles quamplurimi. MATTHAEVS enim ex Euſebio lib. 3. Hiſt. cap. 24. & Baronio, ſcripſit, poſtquam iam 8. annis prædicauerat Hebræis: &, quia iter ad gentes parabat, voluit ijs, quos corpore deſerebat, & quos iam Chriſto genuerat, aliquod memoriale ſuæ prædicationis relinquere. Ioannes quoque, ceu dictus Euſebius, habet, vſque ad extremam ſenectutem, ſcilicet vſque ad 90. vitæ ſuæ annum: ex Epiphanio hæreſi 51. ſine vlla Scripturâ doctrinam, quâ fidei filios Chriſto pepererat, prædicauit. Paulus etiam viginti quinque annis & amplius prædicauit, antequam ſcriberet Epiſtolam ad Romanos (quæ primo loco ponitur) ſcripſit enim illam (ex Baronio & annalibus Geneuenſium) anno Chriſti 59. qui fuit trigeſimus quartus annus poſt conuerſionem Pauli: fuit ergo Fides Chriſtiana ante Scripturam ſacram nouam, vnde, vt doctrina Chriſti faciat fideles: non eſt neceſſe, eſſe ſcriptã.

2. Si doctrina Chriſti & Apoſtolorum, non parit fidem Chriſtianam, niſi ſit ſcripta; ergo ſymbolum illud Apoſtolorum, quod continuè recitamus; non credimus fide Chriſtiana: Apoſtoli enim ſymbolum illud non ſcripto, ſed tantum voce nobis reliquerunt. Sic docent B. Iræneus *cap.* 45. Hieronym. *Epiſt. ad Pamachium.* Auguſt. *ſupra de Fide, & operibus cap.* 9. Ambroſius *Epiſt.* 87. *ad Siricium.* Leo *Epiſt.* 13. *ad Pulcheriam.*

am. Ruffinus & Maximus *in Expoſitione ſymboli.* Dices: ea, quæ in ſymbolo Apoſtolorum recitantur, reperiri etiam in Sacra Scriptura. ſed contra; credimúſne illa, fide Chriſtiana Apoſtolica, ſolùm, quià hic, illic ex occaſione per Scripturam ſunt ſparſa? an etiam credimus ea fide Chriſtiana, quia ex profeſſo continentur in ſymbolo, Apoſtolorum ore tantum relicto? Confirmatur. Omnes Euangeliſtæ in ſuis Euangelijs potius narrando hiſtoricè (quod etiam infra notabo) deſcribunt acta Chriſti ab infantia vſque ad mortem; vt Chriſto laudem, authoritatem, & nomen (vnde Chriſtus ipſemet Euangelium ſcribere noluit: ne laus in proprio ore ſordeſceret) innocentiſsimi, ſanctiſsimi, veri prophetæ, veri Meſsię, veri filij Dei concilient: quā, vt in ſpecie proponant capita & articulos noſtrę fidei: quos credere debeamus. Hos enim tantū occaſione, ſuis Euangelijs, & Epiſtolis inſerunt: per ſe verò illos proponunt in ſuo ſymbolo Apoſtolico, voce tantum ab ipſis relicto. Quæro ergo: an iſtis articulis, tantum ſit danda fides, pro vt hic, illic, ex occaſione per Scripturam ſacram ſunt ſparſi; an potius prout per ſe ſunt propoſiti in ſymbolo Apoſtolico, voce tantum relicto? non ſcripto ab ipſis Apoſtolis. Præterea: vbi in ſcriptura exprimitur communio Sanctorum? vbi, fidem noſtram ſubſcribendam Eccleſiæ Catholicæ?

3. Si Chriſtus, & Apoſtoli, nihil voluiſſent à nobis credi, vt dictum, & doctū à ſe: niſi quod nobis oſtenderetur literis conſignatum: ergo pereunte ſacro Scripto (quemadmodum facto ipſo iam aliqua perierunt, quod conſtat ex 1. Paralip. vlt. & 2. Paralip. 9. & ex 3. Regum 4.

nec

nec extat amplius Epiſtola illa Laodicenſium, proculdubio Sacra: cum propterea S. Paulus ſcribat, ad Coloſſ. vltimo, legendam illam eſſe in Eccleſiâ Coloſſenſium; Epiſtolam verò Coloſſenſium in Eccleſia Laodicenſium) nil amplius teneretur credere Eccleſia; etiamſi conſtaret; illud à Chriſto doctum, quia nimirum tenetur, tantum ſcripto ſtare.

Verum: tametſi ab inimicis noſtræ Fidei cõburerentur omnes libri ſacri: adhuc tamen non ideo combureretur noſtra Fides, quia non chartæ characteribus nigris, vel alio colore pictæ: ſed doctrina Chriſti, quæ per hos characteres pictos mihi innoteſcit, & à me creditur, facit me Chriſtianum: eſtque ſuprema regula meæ Fidei. Ac proinde, ſiue iam doctrina cæleſtis Chriſti & Apoſtolorum, innoteſcat mihi per chartas pictas, ſiue innoteſcat per voces & aures, perque continuam Traditionem, per meos maiores ab Apoſtolorum ipſorum temporibus ad me vſque propagata; eodem modo me Chriſtianum facit.

4. Si nihil gignere debet in nobis fidem, niſi ſit ſcriptum: cur ergo S. Paulus exclamat: *Fides ex auditu*? & non potius: Fides ex ſcripto? cur addit: *Quomodo audient*? & non potius, quomodo legent? Certè, ſi nihil credendum: niſi quia ſcriptum; potius legente, & ſcribente, quam audiente & prædicante erit opus ad fidem. Cur ergo Paulus vrgens ea, quæ requiruntur ad pariendam Fidem: nec Scripturæ quidem & lectionis facit mentionem; ſed tantum prædicationis & auditus? qui ſenſus doctrinam, non quâ ſcriptam, ſed quâ dictam, per ſe reſpicit.

5. Si

Digitized by Google

NB. Aduerſarij ſæpe clamitant: nullum omnino eſſe fundamentum fidei noſtræ, præter quod poſitum eſt, id eſt, præter ſolum Chriſtum: vnde ſequitur, ſacram Scripturam non eſſe audiendam: quia illam non ſcripſit Chriſtus, ſed ſoli diſcipuli, & quidã pauci illorum: ex 12. enim, duo ſoli ſcripſerunt Euangelium, & id tantum occaſione &c.

5. Si Chriſtus noluit, vt ipſius doctrinæ crederemus, niſi oſtenderetur nobis ſcripta; cur ergo ipſemet, qui eſt fundamentum fidei, præter quod nemo aliud ponere poteſt: illam non ſcripſit? cur, ſicut expreſsè iuſsit Apoſtolis, vt Euangelium prædicarent; non iniunxit, & magis ijſdem, vt illud ſcriberent? quandoquidem non, niſi ſcripto, ſit adhærendum, & ſi id illis iniunxiſſet, ſicut Petrus, tamquam caput Apoſtolorum fuit primus in prædicando Euangelio: Act. 2. v. 14. ibi: *Stans autem Petrus cùm vndecim, leuauit vocem ſuam, & locutus eſt.* & cap. 3. v. 12: & alibi: ita procul dubio fuiſſet primus in illo conſcribendo. at Petrus nec Euangelium quidē ſcripſit, nec vllus alius ex 12. Apoſtolis, excepto ſolo Matthæo, & Ioanne: qui illud, tantum occaſione nata ſcripſerunt: vt mox dicam. Petrus verò Princeps Apoſtolorum, duas tantùm Epiſtolas conſolatorias reliquit, quibus Chriſtianos, ex perſecutione illa Hieroſolymitana Act. 8. v. 1. in varia loca diſperſos, & grauiter afflictos, hortatur ad patientiam & bonos mores. Præterea. Si Chriſtus iniunxiſſet ſuis Apoſtolis, vt doctrinam à nobis credendam ſcriberent: ipſi maximè fuiſſent ſolliciti de dogmatibus noſtræ Fidei nobis ſcripto relinquendis. Vnde in primis, duodecim articulos principales noſtræ Fidei, non tantum viua voce, ſed vnanimi conſenſu in chartam coniectos euulgaſſent.

2. Non tantum ſcripſiſſent narrationes hiſtoricas, (vt ſunt illorum Euangelia) & Epiſtolas, quibus ſolùm occaſione noſtræ fidei dogmata ſpargunt: ſed ex inſtituto, & per ſe iſta dogmata conſcripſiſſent 3. Ex inſtituto, & non tantum occaſione ſcripſiſſent: at Matthæus (vt habet Euſe-

Digitized by Google

Euſebius loco citato ſupra) occaſione data ſcripſit: quia cum prædicaſſet Hebræis,& ad gentes profectionem pararet, vtile fore iudicauit; ſi ijs, quos corpore deſerebat, aliquod memoriale ſuę prædicationis, nempè ſcriptam, quam prædicârat Chriſtianæ fidei doctrinam, relinqueret. Marcus etiam, vt legimus in eodem Euſebio. *lib. 2. hiſt. cap.* 15. non ſponte ſua, nec iuſſus à Petro, cuius erat Diſcipulus; ſed compulſus precibus Romanorum, ſcripſit Euangelium. Ioannes verò, teſte dicto Euſebio, vſque ad maturam ſenectam, ſine vlla Scriptura doctrinam Chriſti prædicauit; ac tandem, vt ait S. Hieronymus *in lib. de Scriptoribus Eccleſiaſticis* compulſus ab Aſię Epiſcopis, Euangelium ſcripſit, propter Ebionitarum hæreſim tunc pullulantem.

Hæc ergò & ſimilia prorſus conuincunt: Apoſtolos parum de doctrina ſua ſcripto, ſed potius voce relinquenda ſollicitos fuiſſe.

Quomodo ergò doctrinam quampiam, quæ ab initio Eccleſiæ per continuam ſucceſsionem habita eſt pro doctrina Chriſti vel Apoſtolorum, audes reijcere, ex eo ſolo præcisè, quod nõ conuincatur, eſſe ab illis ſcripto mandatam? cùm ſcias: Chriſtum & Apoſtolos intendiſſe potius, vt doctrina, quam credimus, per vocem & ſonum, quam per calamum & chartam, ad nos tranſiret.

Neque vero hac Controuerſia aliud quidpiam efficere molimur: quam vt omnino eripiamus aduerſarijs illam vocem, ſeditioſorum (vt principio diximus) propriam: Ea eſt: *Vbi eſt ſcriptum? Vbi eſt ſcriptum?* quaſi verò non teneamur, fide diuina Chriſtiana quidpiam credere, hoc ſolo capite, quod oſtendi non poſsit; calamo Chriſti

NB. Nil tam abſque re. quam in illâ

doctrina nil velle admittere, niſi oſtendatur ſcriptum, Cuius Doctrina authores voluerunt illam potius voce, quam ſcripto tradere &c.

Chriſti & Apoſtolorum conſignatum eſſe: licet per SS. PP. per Concilia, per hiſtoricos Eccleſiaſticos, per continuum vſum conuincatur, eſſe voce Chriſti, vel Apoſtolorum traditum; qui doctrinam ſuam, quam credere tenemur, potius per vocem & auditum, quam per calamum & chartam, ad nos tranſmittere voluerunt.

Neque etiam Chriſtus aut Apoſtoli, aut Euangeliſtæ vſquam ſcriptum reliquerunt: nihil vos admittere debere, tanquam ab illis dictum, niſi oſtendi poſſit nobis, eſſe ſcriptum, Quin potius oppoſitum expreſsè ſcripſit Paulus 2. ad Theſſ. dicens: *Tenete Traditiones, quas accepiſtis, ſiue per ſermonem, ſiue per Epiſtolam.*

NB. Me non æquare authoritatem Eccleſiæ, authoritate Chriſti Dei, (qui eſt ipſa veritas. & in illo tanquam in fõte, diuina veritas reperitur: in Eccleſia vero tanquã in riuulo: Eccleſiaque eſt

Objjciunt aduerſarij 1. Matt. 15. *Irritum feciſtis mandatum Dei propter Traditionem veſtram.* Ad Coloſſ. 2. *Videte: ne quis vos ſeducat per philoſophiam, & inanem fallaciam ſecundum traditionem hominum.* Reſpondetur: Traditiones, quas Chriſtus, & D. Paulus reprehendunt: ſunt doctrina vel ritus; cuius homines ſpiritu humano ducti fuerunt authores: vnde & doctrina illa, ex hominibus orta ſeu ſpiritu humano, ac per aliquod tempus per alios propagata, dicitur humana traditio: at doctrina, cuius Chriſtus & Apoſtoli fuerunt Authores, eſto non ſit ſcripta; dummodo tamen ſit à Chriſto & Apoſtolis orta, & per poſteros continuè propagata, vnde & Apoſtolica

Cœtus fidelium, habens tantum extrinſecam aſſiſtentiam Spiritus ſancti: nec Chriſtus eſt fundatus ſupra Eccleſiam, ſed Eccleſia eſt fundata ſupra Chriſtum. Et Eccleſiæ credo fide Chriſtiana diuina: quia Chriſtus Deus dixit, vt illi crederem, vnde fides Chriſtiana diuina, vltimo non in Eccleſiam, ſeu in Chriſtum Deum reſoluitur. vt in 1. 2. S. Tho, docui) ſed doctrinam Chriſti voce relictam æquo ſcriptæ; quia vtraque æque eſt Chriſti, qui ſuam doctrinam non tam ſcripto, quam potius voce tradidit; &c.

Digitized by Google

lica Traditio dicitur; non ideo præciſè, quod non ſit ſcripta, eſt reijcienda: ſed eſt æque veneranda, ac ea, quæ eſt conſcripta. neque enim, quia eſt literis mandata, ideo eſt diuina; & fide credenda; ſed quia eſt Chriſti & Apoſtolorum: ſiue hæc iam per vocem & aures, ſiue per calamum & viſum ad nos perueniat.

Obijciunt 2. ad Galat. 1. v. 8. *Sed licet nos, aut Angelus de cælo euangelizet vobis, præterquam, quod euangelizauimus vobis, anathema ſit.* Sed reſpondetur D. Paulum non dicere, præter id quod ſcripſimus; ſed præter id, quod * *euangelizauimus* vobis: Euangelizare autem: aut eſt doctrinam Chriſti voce potius quàm ſcriptura annuntiare; aut ad minimum, vtrumque. Præterea, per illud, *Præter*, Apoſtolus intellexit aliquid alienum ab illis, quæ illos docuerat; non autem aliquid vltra illa; nam ipſemet vltra illa, quæ tunc docuerat, multa poſtea alia quoque docuit, & ſcripſit: Ioannes etiam, vltra illa, Apocalypſim ſcripſit & Euangelium. Hinc D. Auguſtinus, tractatu 89. in Ioannem; ſic habet: Non ait: plus quam accepiſtis; ſed, *præter, quam accepiſtis*. Nam ſi illud diceret, ſibi ipſi præiudicaret: qui cupiebat venire ad Theſſalonicenſes, vt ſuppleret; quæ fidei illorum defuerant; ſed, qui ſupplet, quod minus erat, addit, non, quod inerat, tollit; qui autem prætergreditur regulam fidei: non accedit in via; ſed recedit à via.

NB.

* *Euangeliũ ſignificat cæleſtem doctrinam Chriſti, quã voce annũtiatam, &c. Apoſtolus, græca dictio, latine ſonat miſſum; non tamen omnis nuntius ab aliquo miſſus, gratis dicitur Apoſtolus, vt non tabellio ſed qui ore principis negotium agit, quique ore aliquid annũtiat. qualem Latini Oratorem vel legatum vocant. Chriſtus ergo ſuos, vocauit Apoſtolos, non quia doctrinam ſui Magiſtri ſcripto, ſed quia illam ore diuulgarent, &c.*

O SYNO-

Digitized by Google

SYNOPSIS PARÆNESIS &c.

PARAENESIS hæc continet, PRIMVM: omnis cætus hominũ, qui in Chriſtiano orbe à ſua propria fide & religione, quá ipſe profitetur nomen ſibi proprium, eſt deducit à nomine proprio alicuius hominis particularis, non Chriſti: (vt Arrianus ab Arrio; Neſtorianus, à Neſtorio; Lutheranus à Luthero; Caluinianus à Caluino) hoc ipſo eſt manifeſtè hęreticus: id eſt, à Chriſto & Apoſtolis non cæptus, ſed ab aliquo homine autore noui dogmatis, quod doctrinæ à Chriſto & Apoſtolis acceptę, repugnet. SECVNDVM: Cætus noſter manifeſtè eſt Catholicus, ſeu vniuerſalis. *Primo* ratione temporum; quia ipſius author & initium vſq; ad tempora Chriſti & Apoſtolorum non reperitur, vnde fit, vt ipſe, à nullo homine, præterquam à Chriſto Chriſtianus; & à continua ſucceſsione tẽporũ, Catholicus appellari poſsit. *Secũdo.* eſt manifeſtè Catholicus ſeu vniuerſalis, ratione locorum totius orbis Chriſtiani: quia manifeſtè eſt in maiori parte Chriſtiani orbis, quâm vllus cætus aduerſariorum; & tam manifeſtè fuit omnibus aduerſarijs prior & antiquior in Anglia, Saxonia, et toto reliquo orbe Chriſtiano, in quo iam ſunt aduerſarij; vt id ipſi aduerſarij negare non poſsint. Vt autem cœtus ratione locorum ſit manifeſtè Catholicus ſeu vniuerſalis, non eſt neceſſe,

ceſſe, vt facto ipſo manifeſtè ſit in quauis parte Chriſtiani orbis (ſic enim nullæ vnquam eſſent hæreſes, quæ occupant loca, in quibus prius fuerunt Catholici, & antiquiores Chriſtiani): ſed ſatis eſt, ipſum in qualibet parte Chriſtiani orbis partim manifeſtè adhuc eſſe, partim in toto reliquo orbe Chriſtiano manifeſtè anteriorem fuiſſe, licet inde extruſus ſit; authorque & initiũ huius extruſionis, manifeſtè ſciatur ab aduerſarijs ipſis. Tertiò. noſter cætus eſt manifeſtè Catholicus poſſeſsione nominis. nam quando quęruntur Catholici: nos communi vſu quæri intelligimur, iuxta illud Auguſtini, contra Epiſtolam fundamenti cap. 4. Tenet me in Eccleſia ' ipſum Catholici nomen, quod non ſine cauſa in- ' ter tam multas hæreſes, ſic iſta Eccleſia obtinet; ' vt cũ omnes hæretici, ſe Catholicos dici velint: ' quærenti tamen peregrino alicui vbi ad Catho- ' licam peruenitur: nullus hæreticorum, vel baſi- ' licam, vel domũ ſuam audeat oſtendere. TERTIVM: ſicut noſter cætus manifeſtè eſt Catholicus: ita è cõtrario, cętus Lutheranus, Caluinianus &c. manifeſtè non eſt Catholicus. 1. ratione temporis, quia antè 100. annos primò cępit, vnde ad minimum per integros mille annos non fuit; ſi verum eſt, quod docent aduerſarij: quingenteſimo Chriſti anno caſtæ Chriſti ſpõſæ ſucceſſiſſe meretricẽ; à quingenteſimo ergo Chriſti anno, vſq; ad milleſimũ quingenteſimũ decimũ ſeptimũ, quo Lutheraniſmus, & poſt illũ Caluiniſmus primò cæpit; nulla omnino fuit Eccleſia Catholica: quia toto illo tempore cætus Lutheranus, Caluinianus, & cæteri omnes non fuerunt; ſed tantum cætus noſter, qui aut eſt Catholicus, aut ad mille annos, ad minimum (quibus ſola me-

retrix vixit) nullus fuit cætus Catholicus,cui ſe fideles adſcribere tenerentur. 2. Cœtus Lutheranus,& Caluinianus,manifeſtè non eſt Catholicus, ratione locorum Chriſtiani orbis : quia eſt manifeſtè tantum angularis,reſpectu totius orbis Chriſtiani;& in omnibus locis,quæ incolit,ipſe antiquiores Chriſtiana fide reperit; & inde illos eiecit; vt omnes norunt. 3. manifeſtè non eſt Catholicus poſſeſsione nominis; quia, quando homo Catholicus quæritur; non Lutheranus,non Caluinianus,communi vſu intelligitur quæſitus.

QVARTVM,cū manifeſtè conſtet:cętum Lutheranum,Caluinianum,& cæteros non eſſe Catholicos (tùm ratione temporis: quia nullus eorum fuit omni ætate Chriſti, vſque ad annum præſentem: tùm ratione loci, quia nullus illorum eſt,aut fuit fuſus, per totum orbem Chriſtianum: quomodo fuit fuſus noſter,antequam Lutherani,Caluiniani,et alij exiſterent; nullusque communi vſu intelligitur quæſitus, dū Catholicus quęritur).niſi ergo noſter cætus ſit Catholicus:non ſolum per mille annos;ſed nec iam etiam reperitur vllus cætus Catholicus, cui fideles Chriſtiani ex ſymbolo Apoſtolico ſe adſcribere teneantur.

QVINTVM.Licet noſter cœtus ſit manifeſtè Catholicus;& quando ſic appellamur, ab omni alio cœtu optimè diſtinguamur; & quam religionem propriam profiteamur, optimè intelligatur: tamen aduerſarij ægerrimè nos vocant Catholicos:ne appareat,noſtrum cætum eſſe manifeſtè illum,cui omnes fideles ex ſymbolo fidei ſe adſcribere tenentur; E contrariò etiam, licèt cætus Lutheranus,Caluinianus, manifeſtè non

ſit Ca-

tholicus; & quando aduerſarij alio nomine quã Lutherani, Caluiniani &c. appellantur, non intelligantur qui ſint, & quam propriam fidẽ profiteantur; intelligantur autem optimè cuius ſint religionis propriè, dum Lutherani, Caluiniani, Zuingliani vocantur: tamen ægerrimè ſic vocantur; ne nimirum eo ipſo, quo ab ipſorum propria fide, quam profitentur, appellantur Lutherani, Caluiniani, &c. tam manifeſtè appareat ipſos eſſe Hæreticos, æque ac olim fuerunt Arriani, Neſtoriani, & quicunque ab homine particulari, qui non ſit Chriſtus, nomen ſuæ propriæ fidei habent, &c.

Cùm ergo conſtet manifeſtè: ſolùm noſtrum cætum eſſe Catholicum; & proinde eſſe eum, cui ſe fideles ex ſymbolo fidei adſcribere tenentur; cur tandem huic cætui non te adſcribis? an, quia, vt prætendis: in ipſum ſenſim dogmata ſacris Scripturis contraria irrepſerunt? at quæ? an illud? non tam fidei quam dilectioni, eiuſq; operibus ſalutem noſtram, vt æternam mercedem adſcribendam? An illud? poſſe carnem & Sanguinem Chriſti adminiſtrari Laicis ſub ſpecie panis ſola? An quod in Euchariſtia contineatur vera & realis caro, verus & realis ſanguis Chriſti? An quod detur purgatorium? An quod ſancti rectè inuocentur? resq; ſanctæ non vt prophanæ, ſed vt ſanctæ ſacro cultu ſint colendæ? An quod non ſoli ſcripto, ſed omni verbo quod proceſsit de ore Chriſti ſit credendum fide Chriſtiana diuina? nonne hæc ſunt illa dogmata præcipua, in quibus Aduerſarij peculiariter difficultatem ponunt redeundi ad Eccleſiam manifeſtè Catholicam; hæc autem nullo modo Scripturæ eſſe contraria, ex ipſa Scriptura, in his

Digitized by Google

octo cõtrouerſijs cõuicimus.quo modo etiã:hæc clam per abuſum in Eccleſiam Chriſti, ſponſæ ſuæ non aduigilantis, aſſeris irrepſiſse? cum ex hiſtoricis Eccleſiaſticis,ex Patribus,& vſu continuo vniuerſalis Eccleſiæ, & ab eius primordijs manifeſtè oſtenderim extitiſſe? Nonne in prima controuerſia conuici ex ſcriptura;inchoationem quidem noſtræ ſalutis eſſe ex fide;conſummationem vero eſſe ex charitate;& hanc eſſe potiorem fide? Nonne in Secunda controuerſia clarè oſtendi:Chriſtum ipſum & Apoſtolos dediſſe ſacramentum Euchariſtiæ ſub ſpecie panis ſola? Nonne ex Tertia controuerſia manifeſtè patet;nullum ex quatuor ſummis noſtræ fidei myſterijs,ita eſſe expreſſum in ſacra ſcriptura,vt minus ſit expoſitum calumnijs,quam præſentia realis veræ carnis,& veri ſanguinis in Euchariſtia? Nonne in Quarta controueſia conuici ex Paulo,& ratione:non omnes peccatores hinc decedentes,eſſe tam ſceleſtos,vt debeant cruciari in æternum;ſed aliquos cruciari,non in inferno; vbi nulla eſt redemptio;ſed alicubi alibi ad tẽpus;qui locus dicitur purgatorius? Nonne ibidẽ demonſtraui: primitiuam Eccleſiam vniuerſam fuiſſe ſolitam orare pro defunctis;ac ritum orãdi accepiſſe ab Apoſtolis? Nõne in Quinta cõtrouerſia clare oſtendi;cultũ Sanctorũ in primitiua Eccleſia fuiſſe conſtantem, & ardentiorem quàm nunc ſit?& tam rectè poſſe nos inuocare Sanctos cum Chiſto regnantes; quàm rectè inuocamus ſanctos hic viuentes:quorum interceſsio in ſacra ſcriptura eſt prorſus expreſſa? Nonne in Sexta & Septima controuerſia demonſtraui ex ſcriptura: reliquias & imagines ſanctorum, tanquam res ſanctas, eſſe ſacro cultu colendas; &

Patres

Patres primitiuæ Eccleſiæ teſtari ſe accepiſſe ab Apoſtolis cultum ſacrarum imaginum? Nonne in vltima Controuerſia euidenter concluſi: ſupremam regulam noſtræ Fidei non eſſe ſacram Scripturam ſolam; ſed eſſe doctrinam Chriſti & Apoſtolorum, partim ſcripto, partim voce relictam; & ad nos, per hiſtoricos Eccleſiaſticos, per Patres, per Concilia, per vſum Eccleſiæ propagatam? Cùm ergo ex vna parte, ſenſu conuincaris: ſolum noſtrum cœtum eſſe Catholicum; (cui proinde ex ſymbolo fidei teneris te adſcribere) & ex altera parte in his 8. Controuerſijs videas: eſſe manifeſtiſsimam imposturam, cætum iſtum admiſiſſe dogmata, Chriſti verbo contraria: cur per ſalutem animæ tuæ non exclamas; Credo Eccleſiam Catholicam falſiſsimè accuſatam, quod dogmata Chriſti & Apoſtolorum doctrinæ contraria admiſerit, &c.

PARÆNETICA ANACEPHALÆOSIS SVPERIORVM CONTROVERSIARVM.

AD LVTHERANOS, CALVINIſtas; Zuinglianos, &c.

ECCVR tandem non reſipiſcitis? cùm *ſine fide verâ impoßibile ſit placere deo,* Hebr. 11. quomodo autem fides veſtra, vera eſſe poteſt; cum hoc ipſo, quod (à fide veſtrâ propriâ quæ vos inuicem, & à nobis diſtinguit) vocemini Lutherani, Caluiniſtæ, Zuingliani, &c. manifeſtum ſit, vos eſſe hæreticos; id eſt, ſeparatos à vero cætu fidelium Chriſti, in quo cætu ſolo, fides à Chriſto & Apoſtolis prædicari cæpta, & per ſequentia ſæcula propagata reperitur.

NB. Audi Hieron. 1. contra Lucifer in fine. *Poteram (inquit) diem eiuſmodi eloquio ducere & omnes propoſitionum riuulos vno Eccleſiæ ſole, ſiccare. Verum, quia iam multis ſermocinati ſumus; & prolixitas concertationis, audientium ſtudia laſſauit, breuem tibi, aptamq; animi mei ſententiam proferam, in illa Eccleſia eſſe permanendum quæ ab Apoſtolis fundata vſq; ad diem hunc durat ſicubi audieris: eos, qui dicuntur Chriſtiani, non à domino* IESV CHRISTO, *ſed à quopiam alio nuncupari, vtpote Marcioniſtas, Valentinianos, Montenſes, ſiue Campiſas, ſcito non Eccleſiam Chriſti, ſed Antichriſti eſſe ſynagogam* Hæc Hieronymus. *Poteram & ego omnes harum octo propoſitionum ſeu Controuerſiarum riuulos, vno Eccleſiæ ſole ſiccare. Verùm, quia iam multum ſermocinati ſumus breuē ſententiam profero. Sicubi audie-ris eos, qui dicūtur Chriſtiani, nō à Chriſto, ſed à quopiā alio nūcupari, vtpotè Caluiniſtas, Lutheranos &c. Scito, nō Eccleſiā Chriſti, ſed Antichriſti eſſe ſynagogam.*

Quæro enim, vnde ſit, quod, cùm vos à fide cuiuſlibet cœtus veſtri propriâ, nomine cuilibet cœtui veſtro ſoli, proprio, vocemini Lutherani, Caluiniſtæ, Zuingliani &c. quæ nomina deducta ſunt

Digitized by Google

ċta ſunt à nomine proprio alicuius hominis, nonChriſti:nos,etiamſi velimus,à nullo nomine proprio alicuius hominis(excepto Chriſti & Apoſtolorum)deducere poſsimus nomen aliquod toti noſtræ Religioni,& cætui noſtro, ac fidei ſoli proprium?

Vocamur quidem nomine,toti Religioni noſtræ & cætui noſtro proprio,(quo ſcilicet à cæteris omnibus dignoſcimur) Catholici; vocamur etiam(quod vobis magis placet)Pontificij, ſeu Papiſtæ: at neutrum horum nominum, eſt deductum à nomine proprio alicuius hominis. vnde hoc: quòd ſcilicet ſolus cætus noſter, tametſi velit, non poſsit nomen habere ſibi proprium; quod tractum ſit à nomine proprio alicuius hominis, niſi Chriſti? Nonne ex eo, quod fides noſtra ſola ſit Catholica? & cætus noſter ſolus Catholicus? id eſt, cætus Author non reperitur vſque ad Chrſtum & Apoſtolos; à quibus per continuam ſucceſsionem temporum, & Pontificum ad nos vſque eſt propagatus. Hinc enim eſt, quod à nullo, præterquam à Chriſto Chriſtianus,ab Apoſtolis Apoſtolicus; à continua ſucceſsione temporum Catholicus,à primo noui Teſtamenti Pontifice Chriſto, Heb. 4. & 5. & eius primo Vicario Petro, Petrique ſucceſſoribus,continua ſerie ſibi ſuccedentibus, Pontificius, appellari poſsit.

Quod ſi noſter cætus, hæreticus eſſet,ſciretur Author ipſius ſicut veſtri; hoc eſt,cuiuſlibet cętus hæretici,ſcitur primus Author, particularis homo; & nomen illius antè quem cætus ille non extitit.(vnde, nihil mirum, quod ab illo ſuo primo Authore nomen, quo à cæteris omnibus diſtinguatur, habere poſsit) 2. ſcitur tempus

quo ille cœtus in CHRISTIANO orbe prius non fuit; & quo CHRISTI anno primum cogi cœpit, III. ſcitur locus, in quo cœpit, vbi in primis, reſpectu totius Reliqui Chriſtiani orbis, tunc omninò paruus extitit; deinde has & illas Chriſtiani orbis partes inuaſit;ac inde fidem Catholica anteriorem. extruſit IV. ſciuntur illi, qui tunc multitudine plures,& fide Chriſtiana antiquiores: tali cœtui tanquam nouo, in Chriſtiano orbe exorienti reſtiterunt; vnde exortæ rixæ inter fideles,ob diuerſitatem veteris Religionis & nouæ: ita hæc eadem de noſtro cœtu,ſi hæreticus eſſet, ſcirentur.

NB. Non eſt mirum. Cuiuslibet cœtus hæretici reperiri hominem particularem authorem illius, qui non ſit Chriſtus: quia omnis cœtus hæreticus docet doctrinam Religionis, in orbe Chriſtiano nouam, ſeu à Chriſto & Apoſtolis non acceptam, illique repugnantem, vnde neceſſe eſt: omnem cœ-

Exempla rem declarent. Ariani cœtus Author fuit Arius,presbyter Alexandrinus; Neſtoriani cœtus Neſtorius Epiſcopus Conſtantinopolitanus;Lutherani Lutherus,presbyter & monachus profeſſus ordinis S. Auguſtini:ſic de Caluiniſtis, Zuinglianis &c. *Secūdò.* Arianus cœtus cœpit cogi anno Domini CCCXXIV Neſtorianus CCCCXXXI. Lutheranus M.D.XVII. *Tertiò* cœtus Arianus,cogi cœpit in Aegypto; Neſtorianus in Thracia; Lutheranus in Saxonia &c. Et quilibet ex his cœtibus fuit in ſui initio, valde exiguus reſpectu Catholicorum, qui tūc orbem Chriſtianum vniuerſaliter occupabant; & quorum loca tunc cœtus iſti exorientes inuaſerunt: indeque anteriores fide Chriſtiana extruſerunt IV. cœtus Arianus exoriens, mox oppugnatus fuit à Syluestro Pontifice, à Concilio Nicæno, ab Athanaſio, Hilario, alijs; Neſtorianus à Pōtifice Cœleſtino, Cōcilio Epheſino, Cyrillo alijſque multis; Lutheranus à Leone decimo Pontifice, Concilio Tridentino, ab Academijs & Doctoribus Catholicis. Hinc illæ rixæ & pugnæ, inter

inter veterem & nouos iſtos cœtus: ob quas iam millia hominum: animo & corpore perierunt: cùm antequam iſte Lutheraniſmus, Caluiniſmus &c. in Germania (populo alioquin ad fraternā charitatem nato) oriretur, inter Chriſti fideles, quod ad Religionē attinet, sūma eſſet pax.

Si ergo cœtus noſter eſt hæreticus; cùm longè celebrior ſit, quàm vllus veſtrorum; vnde eſt 1 quod ipſius ſolius non poſsit ſciri autor ille particularis homo, antequam iſte noſter cœtus non reperiebatur in orbe Chriſtiano: à quo nimirum & ipſe, ſicut cæteræ factiones omnes hæreticæ, nomen habere poſsit; & cuius authoris nomine, ſibi ſoli proprio, à cæteris omnibus cœtibus diſtingui poſſet? 2. quod non poſsit ſciri: quo anno poſt Apoſtolos ipſe primum cogi cœperit? 3. quod non poſsit ſciri: in quo angulo Chriſtiani orbis primùm cœperit, tunc adhuc valde exiguus reſpectu omnium aliorum Catholicorum veterum: qui eo tempore, quo ipſe eſt ortus, Chriſtianum orbem vniuerſim occupabant; quorum loca, cœtus noſter tunc inuaſerit, inde Chriſtianâ & Catholicâ fide antiquiores extrudens? 4. quod non poſsint ſciri, qui tūc multitudine plures, & fide anteriores, exorienti illi, tanquā nouo, & toti reliquo orbi Chriſtiano inuiſo, reſtiterint; vnde inter fideles veteres Catholicos, & noſtros paucos nouos, veterū Catholicorum loca occupantes, eo tempore natæ ſint rixæ & bella, ob diuerſitatem antiquæ; & noſtræ tunc nouæ, Religionis.

tum, qui talem doctrinā profitetur, habere alium authorem, quam Chriſtum, & Apoſtolos; & ab illo authore, vel proprio dogmate illius authoris, quiuis cœtus hæreticus nomen ſuum ſortitur, hinc Ariani, Lutherani, Menotolitæ, Anabaptiſtæ, &c.

Iam vero ve huic tam euidenti demonſtrationi, quâ ad oculum oſtenditur; noſtrum cœtum ſolum eſſe Catholicum: (quod ſcilicet, ipſius ſolius per omnia tranſacta ſæcula, vſq; ad Chriſtum,

NB. Si noſter cœtus non fuit à tempore Chriſti, &

Digitized by Google

Apoſtoloru͂ Ergo quando primo in Chriſtiano orbe cœpit: reperit Catholicos fide Chriſtiana antiquiores, in omnibus locis, quæ tunc noſter cœtus nouus primo occupauit, inde antiquiores Chriſtianos Catholicos pellens, dic iam, quo anno hæc acta ſint?

ſtum & Apoſtolos, non reperiatur author, à quo appellari debeat) & proinde, cæteros omnes cætus, noſtro, in religione & fide oppoſitos, eſſe facturos hæreticos: vt, inquam, huic tam euidenti demonſtrationi infelix hæreticorum aſtutia tenebras aliquas effunderet: quid fecit? Et nobis, & ſibi nomen ex induſtria excogitauit; vocauitque nos *Pontificios*, (quod nomen deductum videtur ab aliquo homine, eodemque etiam ſignificari, authorem cœtus noſtri, eſſe hominem) ſuis verò *Euangelicorum* appellationem indidit, quaſi author cætuum talium, non ſit aliquis homo, ſed Euangelium, & Spiritus ſanctus loquens per illud.

Sed infelix aſtutia, *defecit ſcrutans ſcrutationes* nequitiæ, vt enim ex ipſo nomine, cœtui noſtro proprio oſtenderetur: authorem illius fuiſſe aliquem hominem, & non Chriſtum: oporteret, illud nomen eſſe deductum à proprio nomine alicuius hominis: quale eſt Ariani, ab Ario; Lutherani, à Luthero &c. Arius enim, Lutherus &c. ſunt nomina propria alicuius priuati hominis: At hoc nomen *Pontificius*, non eſt deductum à nomine proprio illius hominis: ſed eſt deriuatum ab officio, & non vnius hominis ſolius & ſingularis: ſed in primis Chriſti, primi, noui Teſtamenti, ſummi Pontificis, & capitis noſtri; tum Petri, primi eius Vicarij; ac demum aliorum; in ſupremo officio regendi animas, illis, continua ſerie ſuccedentium.

NB. *Nec Pontifex, unde Pontificius: nec Papa, unde Papiſta; ſunt nomina propria alicuius; ſed illud eſt nomen officij, hoc paterni affectus; quo vocabulo*

Quare, non eo ipſo, quod aliquis cœtus, qualis eſt noſter, vocatur Pontificius: (hoc eſt, qui doctrinam Chriſti primi capitis, & primi Pontificis, per vicarios ipſi ſuccedentes propagatam, tamquam ſibi propriam, profitetur) conuincitur

tur eſſe non Catholicus: ac idcirco hæreticus: ſicut conuincitur eſſe hæreticus, eo ipſo, quod à dogmate fidei ſibi ſoli proprio, quod profitetur; vocatur Arianus, Neſtorianus, Lutheranus: &c. quæ appellationes originem ſumpſerunt ab hominum aliquorum proprijs nominibus.

olim primò Chriſtiani. Epiſcopum, maximè Romanū. blanda vocabulo Papam, id eſt, Patrem appellarunt: quomodo balbutientes paruuli, apud Græcos Patrem, Pappa, appellare conſueuerunt. vide Bellarminum, tomo 1. lib. 2. De Romano Pontifice, cap. 31.

Vt ergò, ex nomine cœtui noſtro ſoli proprio conſtaret, autorem illius fuiſſe hominem: oporteret, illud nomen, non tantum deductum eſſe à Pontifice in communi (Pontifex enim in communi, vel cœtus alicuius, vel doctrinæ autor eſſe non poteſt) ſed à Pontifice aliquo in particulari: v. g. à Pontifice Paulo, Clemente, Gregorio, &c.

At, quia nullus huiuſmodi reperitur: ideo infelix aſtutia *ſcrutans ſcrutationes* nequitiæ, noſtrum cœtum tantum à Pontifice in communi, Pontificium appellauit: nullum in particulari exprimens.

SECVNDÒ, defecit iſta aſtutia, *ſcrutans ſcrutationes* nequitiæ; ſic; vt enim ex nomine, cœtui noſtro ſoli proprio; & in nominibus etiam cœtibus illorum proprijs, ſincera appareret; autorem noſtri cœtus, eſſe hominem aliquem particularem, non Chriſtum; illorum vero non hominem, oporteret: nomina, quæ nobis & ſibi ipſis imponunt, eſſe talia; vt ſincerè & candidè appareret: nec nobis, nec illis, tantum ex induſtria quadam humana, & gratis; ſed verè ex neceſsitate, eadem illa nomina imponi; vt ſcilicet iſtis ſolis nominibus, & non alijs cœtus iſti verè diſtingui poſsint. At, ſicut nos non opus habemus nomine Pontificio: quia ſolo nomine Catholicorum, (quo communi vſu appellamur) ſecluſo omni alio nomine, ſufficienter ab omnibus

NB. Sicut nos non egemus nomine Pōtificiorum quia ſolo nomine Catholicorum ſufficienter ab omnibus aduerſariorum cœtibu

bus alijs cœtibus diſtinguimur, & cuius Religionis ſimus, intelligitur: ita nec ipſi opus habent nomine Euangelicorum. clariſsimè ſiquidem, & à ſe inuicem, & à nobis diſtinguuntur; & cuius propriè Religionis ſint, intelligitur , dum Lutherani, Caluiniſtæ &c. vocantur. Itaque, & nobis nomen Pontificiorum, & illis Euangelicorum, ex quadam induſtriâ humanâ, gratis, ſeu ſine neceſsitate, eſt impoſitum.

diſtinguimur ex communi vſu eiuſdē vocis intelligitur, Cuius religionis ſimus. ita aduerſarij non egent nomine Euangelicorum: clariſſime enim & à ſe inuicem, & à nobis diſtinguuntur, & cuius propria ſint religionis intelligitur, dum Lutherani, Caluiniſtæ, &c vocantur. E contrario ſicut nos non gratis vocamur Catholici, quia primus author noſtri cœtus, vſq; ad tempora Chriſti & Apoſtolorum non reperitur, & nomine Catholicorum communi vſu nobis, ab omni alio cœtu optimè diſtinguimur , ita aduerſarij non gratis vocantur Lutherani, Caluiniſtæ &c. quia nimirum author cuiuslibet iſtius cœtus ſcitur, & illis ſolis nominibus, non nomine Euangelicorum optimè diſtinguuntur, Cur ergo aduerſarij nos non vocant Catholicos? ſe Lutheranos, Caluiniſtas, &c niſi, quia hoc ipſo euidenter conuincuntur hæretici &c.

Cur ergo, ſuppreſſo nobis nomine Catholicorum: (quod nobis non eſt gratuito impoſitum; tū quia primum autorē, hominem particularem noſtri cœtus vſque ad tempora Apoſtolorum & Chriſti, reperire non poſſumus, à quo appellari poſſumus: tum quia, illo ſolo nomine ſecluſo omni alio, ſufficienter à vobis omnibus diſtinguimur, quamque Religionem profiteamur, intelligitur) vocatis nos Pontificios? ſimiliter: cur ſuppreſſo nomine Lutheranorum, Caluiniſtarum &c. quòd vobis non eſt gratuitum (quia nimirum autor veſtri cœtus cuiuſlibet, qui vos à nobis ſeparauit, optimè ſcitur; & quando, & in quo angulo orbis Chriſtiani , veſter cœtus cœperit, ſcitur; eſtque nomen illud vobis impoſitum prorſus ex neceſsitate; quia hoc ſolō & non alio inuicem diſtingui poteſtis) vocatis

Digitized by Google

catis vos ſtudio, & ſine neceſsitate, Euangelicos? ſicut nos non Pontificios? Nonne, vt fucum imperitæ plebeculæ faciatis? Ne ſcilicet, dum vocamini (ſicut neceſſariò vocamini: quia nomine Euangelicorum dignoſci non poteſtis) Lutherani, Caluiniſtæ, &c. tam clarè conuincamini eſſe hæretici, quam olim fuerunt Ariani, Neſtoriani; & quicunque nomen ſui cœtus & Religionis, ab homine particulari habent. Neue etiam, dum nos vocamur Catholici (ſicut neceſſariò vocamur, quia noſtri cœtus Autor, per omnia retroacta ſæcula, vſque ad Chriſtum reperiri non poteſt) clariſsimè appareat: nos ſolos eſſe cœtum illum Catholicum, ſeu Eccleſiam illam Catholicam, quam in ſymbolo Apoſtolorum, fide confiteri tenemur, dicendo: Credo Eccleſiam Catholicam.

Apparet ergo rurſus, ô infelix aſtutia; quomodo defeceris *ſcrutans ſcrutationes* iniquitatis: quia apparet, te ex induſtriâ excogitaſſe iſta nomina, cœtus Pontificij, & Euangelici: vt ſcilicet nobis ſupprimas nomen Catholici.

At id, iniquè omninò facis. 1. quia conſtat; nos, origine noſtra eſſe Catholicos; autor. n. noſtri cœtus, per omnia ſęcula vſq; ad Chriſtũ & Apoſtolos reperiri nõ poteſt; ſicut cõſtat, vos veſtrâ origine eſſe hęreticos: quia cõſtat de Autore illo particulari, qui vos à nobis, à Chriſto propagatis, ſeparauit; veſtroq; cœtui ſeparato nomẽ indidit. 2. iniquè noſtro cœtui nomẽ Catholici ſupprimere nitimini, cũ cõſtet: illũ, nõ ſolũ origine ſuâ eſſe Catholicum, ſed manifeſtum ſit, etiam ipſum Catholicum, eſſe, poſſeſsione Chriſtiani orbis. Itaque, & eſt manifeſtè Catholicus, id eſt, Vniuerſalis, ratione temporum; quia ipſius

Autor,

Autor, vſque ad tempora Apoſtolorum nõ reperitur; & eſt manifeſtè Catholicus, id eſt, vniuerſalis, ratione poſſeſsionis locorum; ſeu, cõſtat manifeſtè illum in Chriſtiano orbem eſſe vniuerſalem. Notum enim manifeſtumq́; eſt; illum facto ipſo eſſe in longe maiori parte Chriſtiani orbis, quam ſit quilibet veſtrûm; notum quoque ac manifeſtum eſt illum, prius fuiſſe in omni alio loco, in quo vos nunc eſtis; & inde illum à vobis pulſum fuiſſe.

Vt autem cætus, ratione locorum ſit manifeſte Catholicus, ſeu vniuerſalis: non eſt neceſſe vt facto ipſo manifeſtè ſit in quauis parte Chriſtiani orbis vniuerſi: Sic enim, nullæ vnquam eſſe poſſent hæreſes: quæ nunquam occupant loca, niſi ea, in quibus prius fuerint Catholici; neque enim hæretici vnquam, in vllum locum, primi, Chriſti cognitionem intulerunt; ſed Catholicorum labore, ſanctitate, miraculis, priùs illatam obſcurarunt.

Lege Hiſtoricos Eccleſiaſticos, Socratem lib. 4. cap. 29. & lib. 7. cap. 8. & 30. Sozomenum lib. 2. cap. 23. Niceph. lib. 14. cap. 40. Bedam. lib. 1. & 2. hiſt. Anglicæ. Platinam, in vitis Pontificum, Stephani VII. Adriani IV. AEneam Syluium de Origine Bohemiæ cap. 16.

Neque verò hæreticorum eſt, conuertere Ethnicos, ſed potius peruertere Chriſtianos; vnde Tertullianus lib. de Præſcriptionibus, ſic: „De verbi adminiſtratione, quid dicam? cùm hoc „ſit negotium illis: non Ethnicos conuertendi, ſed „noſtros euertendi: hanc magis gloriam captant: „ſi ſtantibus ruinam, non ſi iacentibus eleuatio„nem operentur; quoniam & ipſum opus eorum, „non de proprio ſuo ædificio venit, ſed de veri-

tatis

tatis deſtructione,noſtra ſuffodiunt; vt ſua ædificen t.

Sat ergo eſt:cætum catholicum, ſeu vniuerſalē, in aliqua parte Chriſtiani orbis,manifeſtè eſſe,& in reliqua parte Chriſtiani orbis priorem fuiſſe; licet inde extruſus ſit,ab ho minibus , qui noſtra ſuffodiunt,vt ſua ædificent;& qui ab autore talis ædificij,nomen Arianorum , Lutheranorum, &c.trahunt.

Porrò : Religionem noſtram,quam facto ipſo manifeſtum eſt eſſe in tota Italia , Hiſpania; magna parte Galliæ,Germaniæ,&c.fuiſſe quoq; priorem vobis in Anglia, & omnibus alijs locis: in quibus nunc vos eſtis; vos ipſi negare non poteſtis. quæro enim ; cuius religionis homines, veſtri autores repererint in his omnibus locis?

Quomodo ergò iam cætui illi , in Chriſtiano orbe vniuerſali , nomen Catholici auferre conamini; quem conſtat facto & re ipſâ , adhuc eſſe in longè ampliori parte Chriſtiani orbis; quã vllus veſtrum ſit;& quem etiam conſtat,ita manifeſtè fuiſſe priorem vobis in omni aliâ parte Chriſtiani orbis,in quâ vos iam eſtis,& vnde illũ expuliſtis; vt annum , & locum,& autorem,quãdo, vbi,& à quo quid actum,vos ipſimet etiã ſciatis. Quomodo, inquam, tali cœtui , nomen Catholici auferre conamini? ſic, vt illud in aliquem veſtrorum cœtuum deriuetis? & de quo,vt de noſtro cœtu , dici poſsit : conſtat manifeſtè ; hunc noſtrum cœtum, v.g . Caluinianum , facto ipſo occupare manifeſtè maiorẽ partẽ orbis Chriſtiani;&,conſtat etiam:illum prius in totâ Italiâ, &Hiſpaniâ , vbi iam amplius non eſt, fuiſſe ; & inde tali anno,à tali pulſum fuiſſe , vt nemo id negare poſsit.

Digitized by Google

Certè enim, ſi aliquis veſtrûm iret eò, diceretque: conſtare, ita manifeſtè Religionem noſtram, ſiue Huſsiticam, ſiue Lutheranam, & . in omnibus illis prouincijs, partim eſſe, partim antea fuiſſe; vt vos ipſimet Itali, ac Hiſpani ſciatis, quando nos Huſsitas, Lutheranos, &c. inde expuleritis; noſtram Romam, noſtras Venetias inuadendo .: iure haberetur pro ſtulto.

Imò, plerique cœtus veſtri, ita ſunt Catholici, id eſt, ita Chriſtiano orbi vniuerſo manifeſti: vt, ſi quiſpiam celeberrimas Italiæ, & Hiſpaniæ regiones obeat: vix miraculo reperiat hominem illarum nationum, qui, quinam ſint Picarditæ, qui Zuingliani, qui Flacciani, referre poſsit. En ciuitatem ſupra montem poſitam! Et nihilominus, quilibet veſter cœtus ſolus vult Catholicus eſſe; (mutuo enim vos hæreticos appellatis) cum tamen omnes ſimul, ſiue Lutherani, ſiue Caluiniſtæ, ſiue alij, quotcunque tandem ſitis: ita ſitis Catholici, ſeu cœtus Catholicus, id eſt, vniuerſalis, ſeu vniuerſo orbi Chriſtiano manifeſtè notus; vt exceptis paucíſsimis, qui in Italiâ, Hiſpaniâ, Africâ, Aſia, &c. Bellarminum, vel aliquem alium contra vos calamum ſtringentem, diligentiùs legerunt: vniuerſa Italia, Hiſpania, &c. nihil prorſus de vobis ſciat: niſi ad ſummum hoc; quod omnes ſitis hæretici. At verò, quomodo inuicem diſtinguamini; &, ex quo capite peculiariter, quilibet ex veſtris cœtibus ſolus velit haberi, & agnoſci pro verâ, id eſt, verè Catholicâ Eccleſia, illi cæteræ infinitæ hominum multitudini prorſus ignotum eſt.

Adde: ſi tractus ille terræ exiguus, quem quilibet ex veſtris cœtibus ſolus occupat: (qualis v.g. eſt Lutheranorum, quibus plurimi Caluiniſtæ,

Digitized by Google

niſtæ, aut aliarum ſectarum cultores admixti non ſint) comparetur cum toto reliquo Chriſtiano orbe: mirum, quod vel per tenuiſsimam imaginationem alicui cœtui veſtro in mentem venire poſsit: ſe ſolum vocari debere Catholicum, id eſt, vniuerſalem in orbe Chriſtiano, & non potius planè angularem.

Tertiò demum: iniquè noſtro cætui nomen Catholicum ſupprimere nitimini: quia, non ſolùm origine, & locorum poſſeſsione; ſed etiam nominis poſſeſsione cœtum noſtrum ſcitur eſſe Catholicum. Nam, quando quæruntur Catholici: nos communi vſu, quæſiti intelligimur. Quando enim peregrinus aliquis ingreditur ciuitatem aliquam, vbi nos, & vos Lutherani, &c. ſimul habitamus: illeque inquirit de Catholicis: certè, non vos Lutherani, &c. ſed nos communi vſu perquiri intelligimur. iuxta illud Aug. contra Epiſt. fundamenti cap. 4. Tenet me, inquit, in Eccleſiâ, ipſum Catholici nomen, quod non ſine cauſa, inter tam multas hæreſes, ſic iſta Eccleſia obtinuit, vt cùm omnes hęretici, ſe Catholicos dici velint, quærenti tamen peregrino alicui, vbi ad Catholicam conueniatur, nullus hæreticorum, vel baſilicam, vel domum ſuam audeat oſtendere.

Velint enim, nolint (inquit idem Auguſtinus lib. de vera religio. cap. 7.) ipſi quoque hæretici, & ſchiſmatum alumni, quando non cum ſuis, ſed cum extraneis loquuntur; Catholicam nihil aliud, quam Catholicam vocant: non enim poſſunt intelligi: niſi hoc nomine eam diſcernant. Hæc Auguſtinus.

Ex his ergo euidentiſsimè habes: ſolum cœtum noſtrum eſſe Catholicum, 1. origine, quia

Digitized by Google

ipſius ſolius non reperitur autor, vſq; ad Chri-ſtum & Apoſtolos; qui ſcilicet illum excitârit; nec tempus, quo nimirum primum fuerit excitatus; nec locus; nec aduerſarij in fide Chriſtianâ ipſo anteriores: qui, quando viderunt illum exoriri: ipſi tanquā nouo reſtiterint. 2. locorum poſſeſsione, quia præterquam quod maiorem partem Chriſtiani orbis de facto occupet; fuit etiam tam manifeſtè hic cœtus noſter, prior vobis in omnibus alijs locis, quæ vos iam occupatis: vt vos ipſimet id negare non poſsitis. 3. poſſeſsione nominis: quia ex recepto vſu etiam aduerſariorum, ipſe ſolus (non Lutheranus, non Caluinianus &c.) intelligitur quæſitus, cùm Catholicus homo quæritur.

Cum igitur tam clarè conſtet: hunc noſtrum cœtum eſſe Catholicum, nullum autem veſtrū eſſe Catholicum, & proinde hæreticum (ideò enim omnes hæretici pro Catholicis haberi volūnt; ne dum fatentur, ſe non Catholicos: hoc ipſo conuincātur eſſe hæretici) cur nunc, tu Lutherane, tu Caluiniane &c. factionē tuam manifeſtiſsimè hæreticam non deſeris, & in cœtum noſtrum manifeſte Catholicum te non recipis? An, quia cœtus noſter Catholicus, non eſt Euāgelicus: veſter autem, eſt Euangelicus? At verò vnde vobis nomen Euangelicorum? quod ſine ratione iuſtâ excogitaſtis; nam ſine hoc, ſufficienter à vobiſmetipſis diſtingui poteſtis: per illud autem nequaquam. Fortaſsis autem ideo Euangelici vocari vultis: quia plus Euangelio, quam nos defertis? At nos Euangelio tantum deferimus; vt ob ſacram Chriſti doctrinam, quam continet: apparatu ſacrarum veſtium, quam pretioſiſsimo poſsimus; adhibitis etiam luminaribus & incenſo, cantemus.

Sacræ

Sacræ etiam ſcripturæ, vniuerſim tantum deferimus: vt, quicunque vmquam liber, habitus eſt à cœtu Catholico ſacer: eum veneremur: nec vllum librum ſacrum, qui in dogmate controuerſo nobis obijciatur, declinamus, ſed reuerenter illi reſpondemus. Quam verò abiectò loquatur Caluinus de 2. libro Machab. qui ante mille & amplius annos, cantatus eſt in Eccleſia, vt ſacer; patet ex 4. Controuerſia. Lutherus verò in ſympoſiacis, cap. 59. ſic habet: Huic ſecundo libro Machabæorum, adeò inimicus ſum, vt eum omnino in rerum naturâ eſſe nollem. S. etiam Iacobi Epiſtolam ſacram, ſtramineam vocat: nec Matthæi Euangelium ei plenè placet, ex 1. Controuerſia. Ita venerantur Euangelici iſti Euangelium: vt, ſi aliquid in aliquo libro ſacro, ipſorum erroribus expreſsè repugnans reperiatur: ipſi, de illo (ſit iam ſacer, quantumcunque velit) extenuando & ſupprimendo aſsiduè cogitent.

NB. Aduerſarij nobis magnam iniuriam faciunt, dum ſe vocant Euangelicos, nos Papiſtas: quaſi vero nos Papæ & Eccleſiæ plus deferamus, quam Euãgelio: cum fidei Chriſtianæ Papæ & Eccleſiæ credamus; quia Chriſtus in Euangelio dixit vt ſuperioribus à Chriſto cõſtitutis, & Eccleſiæ crederemus; qui enim vos audit, me audit, Luc. 10. Et qui Eccleſiam non audierit, &c. Matth. 18. *vnde ſuprema regula fidei noſtræ non eſt Eccleſia, ſed Euangelium, id eſt, doctrina Chriſti & Apoſtolorum, at non quà ab ipſis ſcripta tantum vt volunt aduerſarij; ſed tam, quà ore relicta, quam, quà ſcripta; Imo Euangelium potius ſignificat doctrinam Meſſiæ & ſuorum quà ore annuntiatam; nos ergo ſumus magis veri Euangelici quam vlli aduerſarij: quia credimus doctrinæ Chriſti, & Apoſtolorum, etiam quà ore relictæ, non tantum ſcriptæ, &c.*

Quid? quam non veneratur Euangelium Lutherus ſummus Euangelicus? is enim ad fauorem ſuæ doctrinæ conciliandum, textum Sacræ Scripturæ tam inſigniter corrumpere non eſt veritus; vt ipſoſmet Lutheranos iam pudeat, tam manifeſtę & frequentis corruptionis: quando hæc illis ad oculum oſtenditur.

Sed fortaſsis idcirco etiam vocamini Euangelici: quod nihil admittatis eſſe Euangelicæ

doctrinæ conſentaneum, niſi conuincatur in Sacra Scriptura eſſe ſcriptum? At hic rurſus apparet maior reuerentia cœtus Catholici in Chriſtum & Apoſtolos, quàm veſtræ turbæ. Vos enim arroganter ſanè exclamatis: Nihil admittimus, niſi oſtendatur ſcriptum, ſcriptum: at cœtus Catholicus, credit fide diuinâ omni verbo, quod proceſsit de ore Chriſti; ſiue ſit ſcriptum, ſiue dictum tantum; & eò facilius credit; quod ſciat, Chriſtum doctrinam ſuam, quam à nobis credi vult; non ſcripſiſſe; ſed tantum prædicaſſe; nec iniunxiſſe ſuis Apoſtolis, vt eam ſcriberent; ſed tantùm, vt illam prædicarent: nec Apoſtolos eam, niſi occaſione acceptâ, ſcripſiſſe: per ſe autem, & ex inſtituto tantum prædicaſſe, vt patet ex vltima Controuerſiâ.

Cum ergo via, quâ nobis doctrina Chriſti intimatur, ex primariâ intentione Chriſti, & Apoſtolorum, ſit potius auditio, & prædicatio, quam calamus, & lectio; cur, eo ipſo, quod aliquid non exhibetur nobis à Chriſto vel Apoſtolis ſcriptum, etiamſi per hiſtoricos ſacros, Patres, Concilia, praximque, & exercitium continuum, conuincatur dictum & doctum à Chriſto & Apoſtolis; non admittemus?

Deinde, ex eo, quod nihil admittatis, niſi oſtendatur vobis ſcriptum: conuincitur rurſus: vos eſſe tales Euangelicos, quales olim fuerunt Ariani, Neſtoriani, &c. id eſt, conuincitur rurſus, vos hæreticos eſſe; quibus omnibus ſemper fuit ſolenne, (vt videre licet apud Bellarminum lib. 4. de verbo Dei non ſcripto, cap. 8.) ad Scripturam ſolam appellare; & quidem non ex reuerentiâ Scripturæ, vt ex dictis patet: ſed ſolùm, vt in Scriptura, pro capite cuiuſque inter-

NB. Vide Controu. 3. & etiam 4. c.3 cur hæreci in dog-

pre-

pretanda, lites & contentiones excitarentur; quę quidem à nullo tribunali componi poſſunt, & terminari: niſi ſubinde præter nudum textum (quem cauillatores, pro ſuo capite & affectione interpretantur, & idcirco ex pruritu litigandi, ad illum ſolum appellant) audiatur etiam praxis & conſuetudo Eccleſiæ, ab eius primordijs, quâ turbatoribus Scripturarum, os plenè obſtruatur.

matibus fidei ad ſolam Scripturam appellens.

An denique ideo vocamini Euangelici: quia ſcilicet Spiritus Sanctus, verum Euangelij ſenſum vobis ſolis inſpirat? At, quis credat, Spiritum ſanctum non potius inſpirare verum ſenſum Euangelij, cœtui, quem manifeſtè conſtat eſſe Catholicum, (cui ſe fideles adſcribere tenentur): quam cœtui, quem manifeſte conſtat non eſſe Catholicum, id eſt, eſſe hæreticum? ſed dicite quæſo: quibuſnam veſtrûm, Spiritus ſanctus inſpirat verum Euangelij ſenſum? Lutheranis? Caluiniſtis? &c. neque enim in dogmatibus fidei conuenitis: & tamen omnes Euangelici videri vultis. imò, qui ex vobis, ſunt omniũ deterrimi, id eſt, Caluiniſtæ, (qui dogma de veritate Chriſti in Euchariſtia; quo, vt oſtendimus controu. 3. nullum in Euangelio toto eſt clarius, euertere conantur) maximè omnium volunt vocari Euangelici ſed, ſtultus credat: Spiritum ſanctum, qui eſt autor pacis & vnionis, vobis ſolis inſpiraſſe verum ſenſum Euangelij: quandoquidem in tot ſectas, (quarũ quælibet ſola vult eſſe vera Eccleſia) diuidimini; & ita diuidimini, vt non ſolùm omnes ſimul in vnum caput conuenire non poſsitis; cui omnes in rebus religionis veſtræ obediatis: ſed nec etiam quilibet cætus ex veſtris, ſeorſim acceptus, tale caput habe-

NB. Hæc ratio conuincit Spiritum ſanctum potius nobis, quam Aduerſariis inſpirare verũ ſenſum ſacra Scriptura

NB. Qui ex hæreticis noſtri temporis ſunt omniũ deterrimi, id eſt, Caluiniſta: hi magis quàm vlli alij, volunt vocari puri Euangelici, &c.

at. quis enim eſt ille, qui omnes Lutheranos, tanquam caput, in rebus illius religionis regit? idem peto à Caluiniſtis, &c.

NB. Hæc ratio prorſus conuincit, cœtum Lutheranū, Caluinianum, &c. eſſe meras factiones tumultuarias, &c.

Ergòne Spiritus ſanctus autor & director erit talis corporis, tàm monſtroſi, & acephali? Nonne etiam vel hoc ſolo conuincitur: veſtros cœtus, eſſe puriſsimas factiones tumultuarias? cùm in vnum caput ſeu magiſtratum, conuenire nullo modo poſsint, cui cæteri omnes in rebus Fidei illius pareant.

Denique: in quonam dogmate controuerſo Spiritus Sanctus vobis ſolis, verum ſcripturæ ſenſum inſpirat, & non nobis? An primò in eo, quod vos maximè triumphare & efferri facit, quod in ſcripturis deprehendatis: ſalutem noſtram, fidei ſoli, & non operibus eſſe adſcribendam? at: quando ſcripturæ de ſententiâ vltimâ ſalutis & perditionis noſtræ agunt, à CHRISTO Iudice ferendâ, nec quidem mentionem fidei faciunt: ſed perpetuò tantum operum, & mercedis operum; eoſque ad flammas æternas amandant; qui operati ſunt iniquitatem, quantamcumque Fidem habuerint. *Mattha.* 17. v. 23. vt in prima Controuerſia conuicimus.

Sed dicite etiam; inſpiraritne vobis Spiritus Sanctus verum ſenſum ſcripturarum, in negando purgatorio? quod nos, non ſolum ex ſenſu totius naturæ humanæ, & totius Eccleſiæ primitiuæ, ſed etiam ex primo Corinth. 3. ita conuicimus: vt, niſi manifeſtè cæcitatem fingatis, negare non poſsitis: S. PAVLVM ibi docere: hominem, qui in hac vitâ, ſeruatâ CHRISTO fide, & Charitate, affectarit

nihil-

nihilominus in agendo vel docendo quid-piam vanitatis: ſaluandum quidem in aliâ vita, ſed punitum prius igne: datur ergo ex Scripturis; in aliâ vitâ, non tantum gaudium æternum, & ignis æternus; ſed etiam ignis, poſt quem eſt ſalus.

An tertiò, inſpirauit vobis Spiritus ſanctus verum ſenſum Scripturarum, in abrogando cultu Sanctorum? Sacrarum imaginum, Reliquiarum? Verùm nos conuicimus ex Scripturis: ſanctum, quà ſanctum, religiosè eſſe colendum: conuicimus etiam: ſanctos, eorumque imagines, reliquias, inprimis vero Chriſti crucem, æquè & magis eſſe ſancta, ac olim fuerunt Arca; & locus ille, in quo Angelus locutus eſt Moyſi; quæ Scriptura ait religiosè colenda: quia ſancta.

Denique, vt alia omittam (in quibus non tantam facitis in conuerſione veſtra ad Catholicam Eccleſiam difficultatem) inſpirauitne vobis Spiritus Sanctus verum Euangelij ſenſum, in illo dogmate, quod fuit initium omnium tragædiarum, ſcilicet: cum Euchariſtico pane, neceſſariò dandum eſſe calicem? Cùm Chriſtus & Apoſtoli contrarium fecerint, vt ex Sacris Scripturis demonſtrauimus? vbi etiam docuimus: Chriſtum ita inſtituiſſe hoc ſanctiſsimum Sacramentum, vt ex ipſo modo inſtitutionis appareat, vtriuſque ſpeciei coniunctionem non eſſe neceſſariam, appareatque vi inſtitutionis, calicem pro Sacerdotibus peculiariter eſſe inſtitutum.

Cùm ergò: cætum noſtrum ſolum, ita conſtet eſſe Catholicum; vt tu ipſe Lutherane &c. id negare non poſsis (negare enim non potes: eius ſolius autorem, vſque ad Chriſtum, non

reperiri tempus,& locum; quando nimirum, & vbi cœperit in orbe Chriſtiano, inde antiquiores fide Chriſtiana pellens; eorumque loca & tẽpla occupans: nec reperiri aduerſarios, ipſo in fide Chriſtiana vetuſtiores: qui nimirum illi, tunc recens orienti reſtiterint. Non etiam negare potes: ipſum ſolùm non eſſe corpus monſtruoſum, & diſſolutum: quia eſt coniunctum ſub vno capite; ipſumque communi vſu intelligi, quando Catholici quæruntur: hæc inquam omnino negare non potes. quæ prorſus euincunt, ipſum ſolum, & nullum alium, eſſe Catholicum. Quæro rurſus, cur iam ad cœtum Catholicum (cui ex ſymbolo Apoſtolico fide noſtrâ ſubſcribere tenemur, proteſtando: CREDO ECCLESIAM CATHOLICAM) non confugis? An; quia, vt prætendis, in ipſum ſenſim dogmata Scripturis cõtraria irrepſerũt? At quomodo Eccleſia Catholica, cui ſe fideles ſubſcribere tenentur, eſt 1. Tim. 3. *colũna & firmamentũ veritatis*: ſi dogmata ſcripturis cõtraria admittit? quomodo Ioan: 16. 13. promiſit Chriſtus Eccleſiæ *ſpiritum veritatis*, qui *docturus eſſet illam, omnem veritatem*; ſi falſitates enormes didicit? Quomodo Paulus ad Epheſ. 5. monet vxores eſſe fideles maritis, ſicut Eccleſia; ſi Eccleſia adulterinis dogmatibus ſe dehoneſtauit? hoc enim eſſet hortari vxores ad adulteria: At quæ ſunt illa dogmata ſcripturis ſacris aduerſa: quæ dicis, in Eccleſiam irrepſiſſe? Eſtne contrarium ſacris ſcripturis; non tam fidei, quã charitati, & bonis operibus, ſalutem æternam, tanquam mercedem attribuere? vide Controuerſiam primam. Eſtne contrarium ſcripturæ: dare Euchariſtiam ſine calice? vide Controuerſiam ſecundam. Eſtne contrarium ſcripturis: in

NB. Hic cum Aduerſarijs oppreſſis expoſtulatur, primo.

Euchari-

Euchariſtiâ veram carnem Chriſti & ſanguinem contineri? vide controuerſiam tertiam. Eſtne contrarium ſcripturis: docere purgatorium? vide controuerſiam quartam. Eſtne contrarium ſcripturis; docere: Sanctos eſſe inuocandos; & res ſacras cultu ſacro venerandas? vide Controuerſias, quintam, ſextam, & ſeptimam. Eſtne contrarium ſcripturis: Credere fide diuinâ omnibus, quæ Chriſtus & Apoſtoli docuerunt, ſiue illa nobis ſcripto, ſiue voce ſola reliquerint? & ad nos per Patres, per Concilia, per hiſtoricos Eccleſiaſticos, per continuum vſum propagata ſunt? vide Controuerſiam octauam.

Nonne hæc ſunt tua illa dogmata: in quibus peculiariter difficultatem conuerſionis facis? hæc autem vera eſſe, & nullo modo ſcripturæ ſacræ contraria, ex ipſâ ſacrâ ſcripturâ cōuicimus. Quomodo etiam hæc per abuſum in Eccleſiam clàm irrepſiſſe aſſeris? cum ex hiſtoricis ſacris, Patribus, Concilijs, vſu quotidiano Eccleſiæ, & probato, illa extitiſſe oſtēderimus, ab Apoſtolorum temporibus? Neque enim vllius, ex illis dogmatibus, primus autor, vſque ad tempora

NB. Hic cū aduerſarijs oppreſſis expoſtulatur: ſecundo.

NB. Mirum, quod ſola noſtra dogmata ita clam irrepſerint, vt vſque ad Chriſtum & Apoſtolos, ipſorum author, & tempus, quo primò cœperunt, ſciri non poſsit. Veſtrorum autem dogmatum omnium, quæ nobis obijcitis, & primus author, & quo tempore poſt Chriſtum cœperint: optime ſciatur. Ratio, cur veſtrorum dogmatum autor diuerſus ab Apoſtolis, ſciatur, eſt: quia ſunt hæretica. Dogma enim hæreticum, eſt dogma Religionis, in Chriſtiano orbe nouum, ab Apoſtolis non acceptum, ſed doctrinæ ab Apoſtolis acceptæ contrarium. vnde non eſt mirum: ſi omnis talis dogmatis author ſciatur, alius a Chriſto & Apoſtolis. Quia ergo noſtra dogmata ſunt Catholica & Apoſtolica: ideo illorum author vſque ad Apoſtolos reperiri non poteſt: &, quia veſtra ſunt hæretica ideo ſcimus illum natum hominem, qui primus docuit vos: ſola Fide, ſecluſis omnibus alijs, ſaluari: ſcimus quis primus Purgatorium negauit, ſcimus quis primus docuit, Calicem eſſe ſimpliciter neceſſarium Laicis. &c.

Apo-

Apoſtolorum reperitur; proferas enim mihi hunc autorem, quomodo vocatus fuerit; dicas, Quis fuit primus, qui docuit: ſalutem noſtram, non tam fidei, quam potius Charitati operanti, pro mercede æternâ eſſe adſcribendam? Quis primum Purgatorium docuit? quis eſt ille pontifex, ante quem in cœtu fidelium nullus omninò fuit vſus ſub ſpecie panis ſola? &c. ſicut autem nullius noſtri dogmatis in fide controuerſi, primus autor vſque ad tempora Apoſtolorũ reperitur, (& ideo nos Catholici, parati ſumus in omni dogmate fidei vobiſcum controuerſo, ſtare cum Traditione, quam vos refugitis, nudum Euangelij textum appellantes; quia ſcilicet parati ſumus oſtendere, nullius illorum originem reperiri, vſque ad primitiuam Eccleſiam) ita omnium veſtrorum dogmatum in fide controuerſorum, autores ſcimus, & nomina eorum; & quando fuerint, &c. Inde iam vos Traditionem fugitis, quia prima origine cœtus veſtri & dogmatum, non Catholici, ſed hæretici deprehendimini.

NB. Cur aduerſarii Traditionẽ fugiant.

NB. Hic cum aduerſarijs oppreſsis expoſtulatur, vltimo.

Quid ergo miſer cæcitatem amplius affectas? cum noſtrũ ſolum cœtum Catholicum eſſe manifeſtè conſtet: ita vt tu ipſemet ea, quæ diximus, negare non poſsis; & quod in ipsũ dogmata Scripturis contraria irrepſerint: manifeſtam videas eſſe impoſturam. Cur igitur huc te non recipis? rel ctis illis cœtibus; quos negare non potes eſſe hæreticos: eò quod non ſint Catholici, Quia ſcilicet, Primò ſcitur manifeſtiſsime nullũ illorum fuiſſe omni ætate Chriſti, vſque ad annum præſentem: 2. ſcitur, cuiuſlibet illorũ cœtuum autor; qui eum in Chriſtiano orbe coëgit; ſcitur tempus, locus, & qui fide Chriſtianâ anteriores

riores, illi exorienti, reſtiterũt. Tertio, quia conſtat: quemlibet ex illis cœtibus in Chriſtiano orbe, eſſe angularem, reſpectu noſtri. Quarto, quia ex illis cœtibus, quilibet ad ſolum textum ſacræ ſcripturæ appellat; quod eſt turbulentorum omnium proprium. Quinto, quia quilibet illorum, eſt manifeſtiſsima tumultuaria factio: cum nullus illorum poſsit conuenire in vno capite; cui, tamquam ſuperiori, vel Magiſtratui, omnes illius factionis homines ſubſint in rebus ad religionem pertinentibus.

Quocirca, quiſquis es, qui cæcitatem affectas; aperi, rogo, per tuam ſalutem oculos; es enim prorſus inexcuſabilis, quamdiu Eccleſiæ (quam ſolam euidenter agnoſcis, eſſe Catholicam) manus non das: exclamando: CREDO ECCLESIAM CATHOLICAM, (ſeu fide ſubſcribo Eccleſiæ Catholicæ) falſiſsimè contra promiſsionem Chriſti, accuſatam, quod dogmata Sacræ ſcripturæ contraria, (vt ex his octo controuerſijs omninò conuincitur) admiſerit, &c.

Ad Maiorem DEI gloriam, ac DEIPARAE, Sanctorumque omnium honorem perpetuum.

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

FINIS

Digitized by Google

INDEX
CAPITVM.

CONTROVERSIÆ primæ, vtrum fidei & gratiæ ſoli, An verò etiam obſeruationi legis & operibus bonis, ſit ſalus noſtra, aut merces noſtra.

CAPVT I. *Explicatur ſententia Aduerſariorum & quam iÿ pugnantia doceant, ad oculum oſtenditur.* pag. 1.

CAPVT II. *Quodnam ſit fundamentum opinionis Lutheranæ & Caluinianæ.* 5

CAPVT III. *Euertitur funditus Aduerſariorum fundamentum; & Sacra Scriptura, ac ratione efficaciter comprobatur, ſalutem noſtram non ad Fidem ſolum. ſed ad Opera etiam Bona, vt mercedē æternam, referendā eſſe.* 8

CAPVT IV. *Conciliantur Scripturæ, quæ modo Fidei, & non Operibus, modo Operibus, nec Fidei quidem mentione facta; Salutem æternam tanquam mercedem ex Iuſtitiâ debitam adſcribunt.* 11

CAPVT V. *Soluuntur Aduerſariorum Argumenta Cap. 2. poſita.* 29

Secunda Controuerſia de Sacra Euchariſtia ſub vna ſpecie ſumenda.

CAPVT I. *Oſtenditur: à Chriſto inſtitutum eſſe Sacroſanctæ Euchariſtiæ Sacramentum ſub vtraque ſpecie: vt & ſub vtraque & ſub altera dari poſſit; iuxta perſonarum, temporum & locorum conditionem.* 45

CAPVT II. *Demonſtratur omnino, Chriſtum in Emaus, tantum ſub ſpecie panis dediſſe Sacramentum Euchariſtiæ.* 57

CAPVT III. *Demonſtratur; in Actibus Apoſtolorum nunquam reperiri, datum hoc Sacramentum, niſi ſub ſpecie panis ſola.* 65

CAPVT IV. *Oſtenditur ex modo Inſtitutionis, vi illius, non eſſe neceſſariam vtriuſque ſpeciei coniunctionem, cum Chriſtus vnius ſpeciei Inſtitutionem ab alterius Inſtitutione ſeiunxerit; &, cum Calix ſit inſtitutus, poſtquam cœnatum fuit: ipſe vi inſtitutionis, ad ſubſtantiam Cœnæ, non eſt neceſſarius.* 76

CAPVT V. *Quod Calix, vi Inſtitutionis peculiariter, ſpectet ad Sacerdotes &c.* 83

CAPVT VI. *Alia ratione declaratur, Calicem vi Inſtitutionis, peculiariter ſpectare ad Sacerdotes &c.* 85

CAPVT VII. *Ex Iohan. 6. c. Niſi manducaueritis meam*

carnem

Digitized by Google

carnem & biberitis, &c. & 1. ad Corinth. 11 non poſſe oſtendi vtriuſque ſpeciei ſumptionem eſſe neceſſariam. &c. 87

CAPVT VIII. *Soluuntur Argumenta Aduerſariorum.* 90

Tertia Controuerſia de vera & reali præſentia Sacri Corporis & Sanguinis Chriſti in Euchariſtia.

CAPVT vnicum, *Quod in Euchariſtiæ Sacramento, Caro, & Sanguis Chriſti, verè, ac reipſa continetur.* 102

QVARTA Controuerſia de Purgatorio. (3. 115

CAPVT I. *Purgatorium eſſe, conuincitur omnino ex 1. Cor.*

CAPVT II. *Gratia doctrinæ amplioris, diſcutitur; qualenam ſit futurum examen illud operum.* 120

CAP. III. *Soluuntur quædam obiectiones.* 130

CAP. IV. *Ex 2 Machab cap. 12 & c. ad Cor. 15. atque ex inſtinctu totius naturæ humanæ demonſtratur: Purgatorium eſſe.* 135

CAP. V. *Docetur euidēti ratione aliquos qui in hac vita nō puniuntur, puniendos eſſe ad tempus in alia.* 141

CAP. VI. *Ex ſenſu vniuerſalis Eccl. primitiuæ, (in qua, vt Caluinus, & cæteri aduerſarij docēt, cōſtat nihil fuiſſe mutatum in vera Chriſti doctrina) demonſtratur purgatorium eſſe. &c.* 146

QVINTA Cōtrouerſia de cultu & inuocat. Sanctorum.

CAP. I. *eſſe Sāctos colēdos, docetur ex conſtanti vſu cultus eorundem, qui cultus in primitiuâ Eccleſia primis quingentis annis floruit.* 157

CAP. II. *Ex Sacra Scriptura, ac etiam ratione prorſus conuincitur, Sanctos defunctos rectè inuocari.* 165

SEXTA Cōtrouerſia de cultu ſacrarum reliquiarum.

CAP. I. *Explicatur temeritas Lutheri, & Sociorū eius: doctiſſimos ac Sanctiſſ. viros primitiuæ Eccl. cōdemnantiū* 172

CAP. II. *Domonſtratur ex Scriptura & ratione: Sanctorum Reliquias eſſe colendas* 176

SEPTIMA Controuerſia, de cultu & veneratione ſacrarum Imaginum.

CAP. I. *Imagines Dei, Chriſti, & ſanctorum; ſacro cultu, & veneratione dignas eſſe probatur.* 184

CAP. II. *Soluūtur obiectiones Aduerſariorū; &, nū in veteri lege, omne ſculptile prohibitū fuerit, diſcutitur* 187

CAP. III. *Pro pleniori doctrina magis explicatur, nū in veteri lege, omne ſculptile fuerit vetitum?* 191

OCTAVA Controuerſia, de traditionibus.

CAP. VNICVM. *An in rebus fidei, ad ſolam S. Scripturam ſit appellandum.* 199

APPRO-

Digitized by Google

APPROBATIO.

EGo Gregorius Rumer *Societatis Ieſu in prouincia per Auſtriam Prouincialis, poteſtate ad id mihi facta à Reuerendo admodum* P. Mutio Vitelleſco *Præpoſito noſtro Generali: facultatem concedo vt octo controuerſiæ fidei à* P. Chriſtoph. Maier *Societatis noſtræ Theologo conſcriptæ, atque à deputatis ad id Patribus lectæ & approbatæ, typis mandentur. In quorum fidem has literas manu noſtra ſubſcriptas, ſigilloque noſtro munitas dedimus. Viennæ in Auſtria, die 7. Septemb. Anno M. DC. XXI.*

GREGORIVS RVMER.

BIBLIOTECA NAZ.
ROMA
VITTORIO EMANUELE

Digitized by Google

Errata ſic corrigantur.

PAg. 6. linea 8. qua lege qui. pag. 7. linea 21. omnne lege omnem. pag. 8. linea 7. ante finem. ag. t. lege ait. pag. 9. linea 1. ait. lege. aio. pag. 11. linea 3. Qui a eſuriui, & dediſtis mihi potum. lege. eſuriui & dediſtis mihi manducare, ſitiui & dediſtis mihi potum. pag. 12. linea 16. lege. qui vos diligunt. ~~p. 16. linea 1. lege. ſoli~~ pag. 20. in marg. 2. linea antepenultima, lege. operi impenditur. pag. 28. linea penultima. lege. nonne huic. pag. 32. linea penultima in marginali. ergo nihil. lege. quam nihil. pag. 34. linea 1. ante finem. lege. Gratia autem. pag. 38. in marginali linea 8. ante finem, Gregor. hom. 1. lege hom. 13. pag. 40. in Synopſi linea 8. lege. atque Chriſtus. pag. 41. lin. 17. lege. arbitrantur. pag. 51. linea 6. ante finem Quo? cur. lege. Quid? cur. pag. 58. linea 22. lege. Paulæ ad Euſtochium. pag. 62. linea 19. lege. at quando vnquam. pag. 64. li. 12. ante finem. lege deinde aperti leguntur vi ſuper naturali ſic Num. 22. pag. 66. linea 18. lege. omnes vnanimiter pag. 67. linea vlt. ἀγατους lege. ἀγάπην. pag. 71. linea 10. lege. ordiri voluit. pag. 76. linea vltima. dicens ſecundo. lege. dicens &c. pag. 77. linea 4. Poſtquam cænauit, de ſolo calice proferunt. lege. Poſtquam cænauit. hi enim poſteriores duo, verba illa, poſtquam cænauit de ſolo calice proferunt. pag. 90. in marginali linea 16. priuſquam. lege. priuſque. ~~pag. 91. linea 11. ſpectata potius. dele. potius.~~ pag. 96. in marg. linea 4. in ſua. lege. vi ſua. pag. 116. linea 12. ante finem lege ſolidè pag. 120. in 1. marginali in fine lege. excruciat. pag. 123. linea 10. lege. reteget. pag. 125. linea 14. ante finem. lege excipitur. pag 127. linea 4. unde D. Paulus. lege inde D. Paulus. pag. 147. linea 22. prætermittendæ. ~~148. 19. dele qui.~~ p. 151. in margin. 1. pro omnia, o mira. in mar. 2 10. rales. 159. pro titulo. l. Tract. p. 164. in marg. 6. à fin: cur in. 168. 3. à fine deſinuntne. 173 in marg. 1. impudētiam 174. 2. à fine Referuntne. 176. 11. à fine: alis lin. 9. à fine. capſam. 180. 17. impudentia. 185. 16. quàm. 187. in titulo: omne 189. in margin. 2. lin. 3. à fine. pro: quum, lege: quàm 193. 3. prohibitum lin 12. abuſum, qui. 208. 10. pro: vos, nos. In 2. margin. l. 5. autoritati. Ibid. lin 3. à fine pro: ſeu, ſed. 210. 4. dele: eſt. 217. 18. poſt: catus, adde, cuius 219. 1. poſt: iam, adde: multa. 220. 4. pro: facturos hæreticos, lege: factiones hæreticas. l. 24. pro: illius, lege: vllius. 221. 22. ſincerè. 222. in marg. l. 2 an ex, pone: &. pag. 227. l. antep. diſcernant. l. vl. capam. p. 229. l. 6. abiecte. in marg. l. 15. fide ~~p. 231. marg. quam~~

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

RESTAURO del LIBRO ANTICO
Cav. G. DI GIACOMO
PESCARA
1974
Digitized by Google